



1. Benner's. Joh. Henr. / Diss. de gemitu Ecclesie
Suscipiantis libertatem, Gissa 1734.
2. Berud's. Joh. Franc. / Diss. de primarij quibus
dam officij Syriace virtutibus in
quorundam N. T. locorum conspicuis, Halle.
3. Bernholdi's. Joh. Paeth's ^{1732.} / Diss. de causis cui
homo Christianus in hac vita ad perfectam
Sanctitatem pervenire non potest. Actorfi
1738.
4. ——— / Diss. de simplici typo Christi, Actorfi
1740.
5. ——— / Diss. de fidei formularum iustitia,
A Actorfi 1737.
6. ——— / Diss. de Christiane Ecclesie nomine.
A Actorfi 1731.
7. ——— / Diss. de jejunijs spirituali,
A Actorfi 1730.
8. ——— / Diss. de salvanda per filiorum
generationem inuliere. Actorfi
9. ——— / Diss. de prudentia ^{1735.} pastorali, Actorfi
1737.

10. Peernholdt, Joh. Malthus diff. de prot. Evangelio
paradisiaco contra patrem Ignatium
Hitorfi 1732.
11. ——— diff. de Characteribus pseudoprophe-
tarum, Hitorfi. 1731.
12. ——— diff. de generali Peziz Peelschagans
convivio, Hitorfi 1740.
13. ——— diff. de Divinorum in Judaeis Judi-
cium economiam, Hitorfi 1740.
14. ——— diff. de Characteribus ^{veri} veri et
falsi, Hitorfi 1737.
15. ——— Zoologian Ecclesiasticam ~~et~~
gloria patri sub festum S. trinita-
tis, Hitorfi 1727.
16. ——— diff. de voto per jiphtachum
nuncupato, Hitorfi 1740.
17. ——— jejunium parziale exemplo
Joh. Baptistae Hitorfi 1725.
18. ——— diff. de principali fidei Evangelicae
articulo, nempe de justitia Christi.
Hitorfi 1736.
19. ——— diff. de homine exteriori et
interiori, Hitorfi 1738.
20. Bielfeld, Joh. Seb. Giffel diff. de scapi-
leja vyranon Raingomem Hitorfi 1734
21. Bielfeld, Joh. Christ. Giffel diff. de
Jesu Christo totius theologiae
centro, Giffel 1716.

- 22 Bielenfeld / Joh. Christoph / diff. de theologia,
gia polemica, Lipsia 1723.
- 23 Bieleri / P. Benj / diff. de spiritu sancti,
figurationi, Lipsia 1790.
24. Beilfingeri / Georgii Beorch / diff. de
mysterijs Christianae fidei, iend 1732.
- 25 ——— diff. de theologia thetica, iend
1738.
- 26 Boehmij / Joh. Justus / diff. de inter,
spone Jesu Christi sacerdotali,
iend 1790.
27. Boerner / Christ. frid / diff. de prote
baptiste Johanne Lipsia 1729.
- 28 ——— diff. de sine Jacobi in utero
Lipsia 1708.
29. Bohstedt / Dav. Sigismund / diff. de
custodienda veritate Hald
30. Profij / Joh. Jacq / diff. de sponsa
ornata 1725.
1735.
- 31 ——— paulus in tertium Coelum
raptus, Lipsia 1790.

32.
d

13. 1

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
GEMITV ECCLESIAE
S V S P I R A N T I S
LIBERTATEM

ROM. VIII. 19. 20. 21. 22. 23.



to

P R A E S E S
IO. HERMANNVS BENNER
ACAD. GISS. PROF. ET PAEDAGOGIARCHA

R E S P O N D E N S
WILHELMVS RVDOLPHVS DOELL
SS. THEOLOGIAE CVLTOR

QVICQVID IN ILLA VEL NOVVM EST VEL DICTVM PRIVS
CATHEDRAE PVBLICAE

AD D. XXII. AVGVSTI ANNO POST NATALES CHRISTI
C19 13 CC XXXVII.

INGENVAEQVE LIBERALIVM EXEGETARVM CENSVRAE
PERMITTVNT.

GISSAE LITTERIS MVLLERIANIS.

EXERCITIO ACADEMICUM

DE

GRATIA ECCLESIAE

STASPIRANENSIS

LIBERTATEM

ROM VIII 19 20 21 22 23



PER ACADEMIAM

JOHANNIS BANNER

AGROQUE PRO ET PATRIBUS

REVERENDI

WILHELMUS RUDOLPHUS DOKT

IN THEOLOGIA

DISPUTATIONIS IN NOMINE DEI PATRIS

CAUSAE THEOLOGICAE

AD IN VINO LIBERTATEM ACADEMIAE

CONSTITUTAE

IN VINO LIBERTATEM ACADEMIAE

PERMITTUNT

GRATIA ECCLESIAE



Q. D. B. V.

De
GEMITV ECCLESIAE SVSPI-
RANTIS LIBERTATEM.

Rom. VIII. 19. 20. 21. 22. 23.

CAP. I.

Quomodo hoc desiderium in oratione PAVLLI
fit inuestigandum.

ARGVMENTVM.

- §. I. Instituti ratio, & quinam in
hunc locum sint commentati.
- §. II. Postulatum primum: ad
quos haec epistola scribitur, ple-
rique fuerunt ebraei.
- §. III. Postulatum alterum: ebraei
magnifica sibi cuncta tempore
MESSIAE promittebant.
- §. IV. Postulatum tertium: ex illa
ebraeorum opinione factum est,
ut εκάδαλον τῶ σωῶν multos per-
celleret, qui propterea docendi
& ad meliorem spem erigendi
fuerint.
- §. V. Sententia nostra breuiter pro-
ponitur, quae capitibus deinde
sequentibus tradatur explicatius
& comprobetur.
- §. VI. Quomodo sensus verborum
Pauli, quem nos tuemur, ex
ipsa eius oratione sit eruendus.

§. I.

Illustre sancti PAVLLI tractamus oraculum, * quo ge-
mitum ecclesiae, suspirantis libertatem gloriosam, ea
sermonis maiestate descripsit, quae ad ipsius rei magni-
tudinem accommodata, meditationes doctorum ho-
minum

A

minum

minum mirifice detinuit, & in partes plurimas ** diffraxit. Quodsi venerari potius haec mysteria, quam rimari post egregias aliorum curas, & monita grauissima, iuebimur, id pia mente faciemus; hac lege tamen, vt & nobis eam siue libertatem, siue veniam indulgeri petamus, quam alii, sine cuiusquam offensione sumserunt. Nihil temere, nihil a doctrina sancti codicis alienum, nihil denique a PAVLLO non suppeditatum, huic adferemus. Non erimus aliorum censores immodesti; neque tamen indignum aut molestum nobis videbitur, vbi doctiores errorem quendam nostrum increpabunt. Eo praemuniti consilio, hunc potissimum in partes vocamus, sine quo neque disci mysteria, neque salubriter tractari possunt.

* Adscribemus ipsa verba, primum graece, sicut vulgo distinguuntur; deinde latine, ad nostram sententiam. Rom. VIII. 19. 20. 21. 22. 23.

v. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαρῶδοσις τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν νῦν τῶ θεῷ ἀπεκδέχεται.

v. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκούσῳ, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα.

v. 21. Ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεῷ.

v. 22. Οἴδαμεν γὰρ, ὅτι πάντα ἡ κτίσις συσενάζει ἢ συναδίνει ἄχρῳ τοῦ νῦν.

v. 23. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ ἢ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, ἢ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς σενάζομεν, σιθεσίαν ἀπευδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.

Namque exporrectum desiderium huius (quae sub nouo testamento in terris est) ecclesiae, reuelationem filiorum Dei exspectat. Quippe vanitati haec subiecta est ecclesia, non volens, sed propter illum, qui sub spe illam subiecit. Siquidem haec ipsa ecclesia vindicabitur a seruitute corruptionis, ad gloriosam libertatem filiorum Dei. Nouimus enim quod tota haec ecclesia simul anhelet & una partur-

rins

riat (hanc libertatem) ad hunc usque diem. Nec solum ipsa, sed illi quoque, qui spiritus primitias habent. Et nos praeterea tacite nobiscum ipsi suspiramus ius illud filiorum, (quod electi iam adepti sunt in caelis,) liberationem interim a nostro corpore expectantes.

* Innumerabilis prope commentationum ac disputationum est numerus, quibus hic locus vel tentatus fuit, vel illustratus. Collegit post GROTIUM, CALOVIUM, ITTIGIUM plurimas ven. WOLFIUS *Curis* in hanc pericopen. Quibus accessit re- cenduntur disputatione, praefide celeberrimo CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS, HALAE ANNO MDCCXXXIII. proposita, ubi ἡ ἀποκατάστασις τῆς κτίσεως, Christus ipse dici putatur. Credo huic opinioni materiam potuisse praebere a NOR- TONIO KNATCHBULLO, qui, annotatis ad hunc locum, illud IACOBI varicinium *Genes. XLIX, 10.* וְלוֹ יִקְרָת עִמִּי huc attulit, atque conuertit & ipsi erit expectatio gentium. Quod is tamen multo aliter ad verba PAVLLI, quam doctissimus hu- ius disputationis auctor, accommodat. Nos, ubi res posset, sententias potiores attingemus. Nam singulas enumerare, ne- que breuitas nostra, neque lectoris patientia sinit.

§. II.

Nostram vero sententiam, ut quam minime impedi- tam lectoribus offeramus, quaedam antea nobis concedi postulabimus, sed non praeter acuitatem. Primo magna pars eorum, ad quos haec exarata fuit epistola, * fuerunt EBRAEI.

* Haud grauate nobis id largietur, qui totam hanc diligentius ex- cussit epistolam. Ut enim haud abnuerimus, fuisse plurimos in his alienigenas, & a veteri ciuitate ISRAELIS exclusos, ta- men partem fere maiorem conficiebant Iudaei. Non poterit id impugnare, qui considerat, quae a capite ad calcem huius epi- stolae de caerimoniis veteris testamenti, de circumcisione, sa- crificiis, propitiatorio, de lege scripta, de ABRAHAMO, de IACOBO & ESAVO, de PHARAONE, similibusque disputan- tur. Quae omnia Iudaeis notissima, non aeque perspicua fuis- sent

sent exteris, qui veteris testamenti volumina tunc parcius versabant. Ac praeclare in *selectis sacris* notavit BRAUNIVS, inter eos, ad quos epistolae sint a PAVLLO perscriptae, maiorem fuisse numerum Ebraeorum. Sane qui epistolam ad GALATAS perlustrat, huic nostrae simillimam, facile ad istam opinionem, saltim in duabus his epistolis, flectetur.

§. III.

Alterum, quod nobis dari postulamus, in eo ponitur: fuisse inter Ebraeos spem admodum magnificam de tempore MESSIAE, quo laeta omnia & prospera futura, partim e vaticiniis *veteris* * *oeconomiae*, partim suis ipsorum ** commentis, augurabantur.

* Illustre prae ceteris est IEREMIAE vaticinium. *cap. XXXI. 33.* ubi Deus populo novi foederis singularem clementiam spondet, in eo praecipue positam, quod *filiorum loco* habiturus sit, veros CHRISTI clientes. Quam in cogitationem inciderat PAVLLVS, proxime ante nostrum oraculum. *com. 15. & 17.* *Ὁυ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας, ἀλλ' εἰς φόβον, ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἰοθεσίας, ἐν ᾧ κηρύσσομεν Ἀββᾶ ὁ πατήρ.* Neque enim servilem spiritum accepistis, verum ad timorem, sed accepistis spiritum filialem, per quem clamamus: *Abba Pater!* Fulsus hoc in epistola ad GALATAS exponitur, quae idem argumentum ex instituto pertractat. Atque illa potissimum est causa, quare status ille, quem gemitus τῆς κτίσεως suspirat, in loco nostro per allusionem dicitur *υἰοθεσία*, *libertas filiorum Dei*, *revelatio filiorum Dei*. Quibus verbis non negat, esse DEI filios, qui sub oeconomia novi foederis, CHRISTI ciues sunt, sed alterum statum post hanc vitam κατ' ἐξοχήν hoc titulo insignit; sicut & in veteri testamento erant DEI filii, & tamen DEVS idem promittit, fore, ut nostris temporibus tales sint & adpellentur, quadam cum praerogativa, & praecipuo iure.

Porro qui Deo tam cari essent, ut filiorum ius adipiscerentur, his etiam ἐλευθερία, *libertas*, id est a pluribus malis, incommodis, ac durioribus conditionibus immunitas, eodem promisso concedebatur;

batur; quod latius diduxit vir sanctus in laudata saepius ad GALATAS epistola. Hinc est, quod PAVLLVS non adimit quidem in nostra *pericopa*, libertatem aliquam piis sub nouo foedere, sed veram tamen & illustrem restare docet, in regno beatorum, quod votis omnibus ac suspiriis desideretur. Haec est ελευθερία τῶν τέκνων τῆ Θεῆ, *gloriosa libertas filiorum Dei*. In primis autem huc pertinet, quod ex ESAIA didicerant IVDÆI, fore, vt Messiae temporibus cessarent adstrictiones pristinae, quod sane testatur vates, *cap. LXX. 16.* וְשָׂכַחוּ הַצָּרֹת הָרְאוּשׁוֹת. *oblivioni traditae erunt adstrictiones pristini status ecclesiae*, quae caeli terraeque nomine ibi designatur.

*^v Iam CHRISTI seruatoris aevo paullatim infederat in animis Ebraeorum fabula, de mutando rerum ciuiliū statu, & conditione felicissima temporum, sub magnifico rege MESSIA. Posteaquam enim mali fuerant interpretes oraculorum antiqui foederis, fieri res aliter non potuit. Vates sanctissimi oeconomiam noui testamenti quibusdam felicitatis externae simulacris depinxerant. *Omnia noua fore*, καινὴν κτίσιν, pollicebantur: lege *Iesa. LXX. 17.* Illico somniabant inconsulti homines, ad ipsam rem publicam & familiarem, haec tam opimas promissiones pertinere, neque locum fore sub CHRISTO vllis perpeffionibus aut humanis casibus, sed omnia magnifica, laeta & optabilia spectabant. Haesit haec labes in ipsis discipulorum Christi mentibus, atque ita haesit, vt post victoriam seruatoris vix elideretur. Quae ex Ebraeorum scriptis huc pertinent, percommode produxit clarissimus LAKEMACHERVS, notauitque, hanc nouam rerum faciem, καινὴν κτίσιν, ab illis vocari חִירוֹשׁ הָעוֹלָם *innoationem saeculi*, ad quam alludit etiam, sed sano sensu, & stilo vaticiniorum, PETRVS, 2. *Pet. III. 13.* Est autem probabile, quasdam huius infomnii reliquias, in ipsis Romanorum, ad quos hoc scribitur, animis, superfuisset.

§. IV.

Tertio tribuendum hoc nobis quoque videtur, nihil magis percussisse nouos CHRISTI ex ebraea gente discipulos, quam

quam vbi viderent, in *oeconomia* tam felici, ac tantopere ab omni vatium choro celebrata, tot calamitatibus locum * esse, tam vexari & cruciari, qui DEO carissimi planeque familiares dicerentur. Docendum ergo fuit PAVLLO, haec incommoda, non esse a regno CHRISTI aliena ** quamdiu vigeret id in hoc terrarum domicilio: sed spes simul *** ostendenda, restare felicitatem istam, omnino incommodi ac doloris expertem, in vita post hanc secutura.

* Consule PETRUM ad dispersos potissimum IYDAEOS scribentem. *1. Pet. IV. 12. ff. cap. I. 6. II. 21. III. 13. 14. IV. 1. V. 19.* Et in praesenti negotio PAVLLVS idem tractat argumentum, ut σκάνδαλον τῆ ζωῆς (*Gal. V. 11.*) aboleatur. Id enim volunt verba *com. 17. & 18.* proxime ante nostrum locum; εἴπερ σύμπασχομεν, ἵνα ἡ συνδοξασθῶμεν. λογίζομαι γάρ, ὅτι ἐν ἄλλοις ταῖς παθήματι τῶ νῦν καιρῶ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλοφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Si modo perpeffionum, ut gloriae quoque socii fiamus. Existimo enim huius aeni perpeffiones non dignas esse, quae censeantur ad eam gloriam, quae publica pompa in nos conferetur.

** *Com. 17.* ἵνα ἡ συνδοξασθῶμεν, quod exemplo CHRISTI regis ac sospitatoris, passim confirmatur. Vnde constare poterat novis clientibus, non aliam esse ipsorum, quam sui domini conditionem, quamdiu vinerent inter homines, sed nec aliam in altera vita, vbi post reuelatam CHRISTI gloriam, simul & civium ipsius lautissima fors conspicienda sit. *2. Pet. IV. 1. 2. Tim. II. 11. 12. 2. Cor. IV. 11.* Adde *Act. XIV. 22.* Ἐτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ὑμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, per multas afflictiones nos ingredi oportet in regnum Dei.

*** *Com. 17. & 18.* & locis paullo ante notatis.

S. V.

Quibus modeste praesumtis, haec erit verborum PAVLLI sententia: Η κατ' οὖν, ecclesia novi testamenti, quae & quando est in hac terra, illum diem avidissime expectat, quo

quo reuelandi sunt filii DEI. Nam in hac terra degens, obnoxia est vanitati atque corruptioni, non volens equidem sed propter illum, qui ipsam subiecit, verum ita subiecit, vt meliora iusserit sperare. Haec autem spes est eiusmodi, quae spectet liberationem a vanitate, & gloriosam libertatem post fata huius mundi. Atque hunc statum communibus votis pro toto CHRISTI regno anhelat, & quasi parturit ecclesia noui testamenti. Nec sola tamen illa, sed animae quoque beatae iam nunc in caelo. Nos vero praeter hoc commune desiderium, etiam singuli pro nobis optamus statum post mundi fata meliorem, antea tamen liberationem expectantes ab hoc mortali corpore.

§. VI.

Iam vt adpareat, nostram sententiam, cum ea quae fuerit in mente PAVLLI, congruere; docebimus ante omnia, filium sancti scriptoris talem esse, qui eas nobis cogitationes suggerere * possit. Deinde in tali argumento versari virum diuinum, vt hic potius verborum sensus, quam alius, locum habere debeat **.

* Qui ex alterius sermone, cogitata mentis, quae sermone sunt expressa, percipere laborat, is necesse habet, vt verba ex vsu recepto, & linguae legibus aestimet, eorumque nexum ex eiusdem linguae regulis & consuetudine censeat, in vtroque veto non negligat alia praecepta, quibus nos instruit ars cogitandi. Quare hoc loco significatio vocabuli κτιστες, ματαιότητος, φθοράς, & phrasium ἀποκατάστασις τῆς κτίσεως ἀπειδέχεται, desiderium creaturae expectat, ἀποκαλύψις υἱῶν τῶ θεῶ, reuelatio filiorum Dei, ἐλευθερία δόξης τῶν τέκνων τῶ θεῶ, libertas gloriae filiorum Dei, κτιστοῖς συσσεύαζαι ἢ συναδίναι, creatura gemitum ac velut pariendi nisum consociat, ἀπαρχὴν τῆ πνεύματος ἔχειν, primitias spiritus habere, ἀπολύτρωσις τῶ σώματος ἡμῶν, liberatio corporis nostri, & quae sunt reliqua, exenti debent. Nec vero omit-
tendae

tendae sunt, quibus accessionibus singulae voces phrasaeque circumferuntur. Sic modo dicitur *κρίσις*, modo *πρώτη ἢ κρίσις*, nunc *αὐτῆ ἢ κρίσις*, ubi ex *determinatione* per illas, quae accedunt aliis iudiciis & rationibus, iudicandum est.

** Non satis est, ostendisse, quid *possint* verba certa phrasaeque per indolem eius, qua exprimuntur, linguae, denotare, sed quid *hic* & *nunc*, pro nexu antecedentium, & pro *scopo* dicentis significare *debeant*. Arque haec deinde regula sensum verum a ficto, magis probabilem a minus probabili, seiungit, de quo fusius explicatur *capite V.*

CAP. II.

De

Communi desiderio ecclesiae novi testamenti,
quamdiu est in hoc mundo,

vbi

Liberationem a vanitate, & reuelationem suae gloriae
anhelat.

ARGVMENTVM.

- §. I. Vocabulum *κρίσις* denotat ecclesiam in hoc mundo constitutam, quod ex ipsa lingua graeca, consultis scriptoribus profanis atque sacris, itemque e testimonio interpretum praestantissimorum ad alia §. codicis loca, ostenditur.
- §. II. Articulus vocis *κρίσις* praepositus ecclesiam novi testamenti, quae, & quando est in hoc mundo, significat. Comprobatur id ex indole linguae, testimonio Criticorum & aliis sermonis iudiciis.
- §. III. Haec ecclesia vanitate subesse cur dicatur? cur inuita subsit? quomodo propter dominum qui eam subiecit? cur sub spe?
- §. IV. *Ἀποκατάστασις*, quid sit & quibus rebus contineatur?
- §. V. Quid sit genere ac parturire libertatem, quomodo & quamdiu id fiat?
- §. VI. Quid sit illud, quod ecclesia desideret? reuelatio filiorum DEI, & libertas gloriosa filiorum DEI, itemque *ἰουδαία*.

§. I.

§. I.

Prima est cura de eo, quid PAVLLVS voce κτίσις signauerit. κτίσις * est ecclesia in hac mundo constituta, cuius variae inde ab initio fuerunt oeconomiae. Vocabulum sane κτίσις hoc potest significare, si vis * eius indagetur diligentius: idque in locis ** noui testamenti, quamquam alienis, praestantissimi quidam interpretes obseruarunt.

* Κτίσις a verbo κτίειν descendit. Id inter alia de conditoribus ciuitatum apud profanos quoque scriptores adhibetur, vt adeo κτίσις vel actum condendi notet, vel id quod conditum vel constitutum sit, plane vt in tabulis noui foederis ἡ κτίσις interdum creationem, frequentius autem, id quod creatum est, designat. Πόλιν ἱστῶσαι frequentissime dixit **ARRIANVS** de expedit. **ALEXANDRI MAGNI** pag. 91. 313. 314. vbi etiam vrbs ipsa dicitur κτίσις, p. 126. 313. Quin & κτίειν τὰ ἴθνη, condere gentes, & κτίειν τὴν νῆσον, & χώραν, condere insulam, regionem, apud graecos dici, notauit ad **PLVTARCHVM** de fluminibus doctissimus **MAVSSACVS**. Idem obseruatum esse a **SCALIGERO** ad **EVSEBIVM** itemque **CYPERO** & **WESSELINGIO**, docuit ven. **WOLFIVS** in rem sacram & philologicam sempiternis meritis insignis ad *Ebr. IX. 11.* Quod deinde latini quoque scriptores imitati sunt, quicquid contra sentiat **VOSSIVS** de *historicis graecis* p. 450. Nam **VIRGILII** sunt haec: *Aen. l. 37.*

Tantae molis erat Romanam CONDERE GENTEM

Idem, lib. VI. 792. de **AVGVSTO** imperatore,
aurea CONDET

SAECULA qui rursus Latio.

Apud Scriptores graecos ecclesiasticos, legitur *Sir. VII. 16.* Deum instituisse agriculturam, vbi est in Graecis: ἢ γεωργίαν ὡς ἡ πόλις ἐκτισμένη. Sic lib. III. *Esd. IV. 53.* est ἱστῶσαι τὴν πόλιν, aedificare urbem. Atqui ecclesia, cum militans, tum triumphans, ab vtriusque foederis scriptoribus saepe cum vrbe comparatur,

B

cuius

cuius fabricator & artifex est DEVS. *Ebr. XI. 10.* imagine scilicet vrbis sanctae Hierosolymorum adumbrata. *Gal. IV. 26. Apoc. XXI. 2.* Ac in vtraque ecclesia ciues a DEO creantur, qui adeo *κτισθέντες* dicuntur per IESUM CHRISTUM. *Ephes. 11. 10.* Ipsum vero *κτιστός* vocabulum, vt' propius huc accedamus, quamcunque constitutionem alicuius rei denotare potest. Sic ordo imperantium, legesque ab illo latae, dicuntur *κτιστός ἀνθρώπων*, constitutio humana. *1. Pet. 11. 13.* Et quoniam inter instituta diuina praecipuum quoddam est ecclesia, inde factum videmus, vt vates *vetoris testamenti*, cum ista de ciuitate DEI loquuntur, quam CHRISTUS rex sibi condidit, vocabulo *בְּרָא*, quod *creare, condere*, significat, vtantur, *Esa. LXV. 17.* Graeci vero scriptores adharu diuini spiritus hoc imitari, ecclesiam *τὴν κτισίαν*, & praecipue *oeconomiam noui foederis* *καινὴν κτισίαν* adpellant. Quam in rem illustis est eiusdem PAVLLI locus, *2. Cor. V. 17.* *εἰ τις ἐν Χριστῷ καινὴ κτισίς, τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδὲ γέγονε καινὰ τὰ πάντα.* Si qua per CHRISTVM noua est oeconomia, consequens est vetera desisse: ecce noua facta sunt omnia. Hic locus, quoniam plurimum lucis adfundit nostrae sententiae, paullo diligentius erit excutiendus. PAVLLVS hic pugnat aduersum eos, qui praerogatiuis externis, non bonis animi gloriabantur. Docet hoc, *comma* praecedens *12.* *πρὸς τὸς ἐν πρώτῳ πνευματικῆς ἢ ἐκ καρδίας.* Hi vero erant ebraei, sicut ex hac epistola planissime perspicitur. *cap. XI. 22.* Gloriabantur autem ἐν πρώτῳ, id est iactabant post alia dignitatem personae, quam ponebant in praestantia gentis suae; quae ab ABRAHAMO ducta, circumcisa, DEO foederata, legibus, institutis, miraculis, beneficiis illustribus, supra ceteros in orbe populos euecta fuerat. Hi sunt nimirum, de quibus PAVLLVS *Gal. VI. 12.* *ὅσοι θέλουσι ἐπρωταγήσαι ἐν σαρκί.*

Quid? quod & ipsius CHRISTI consanguinitatem in praecipuis ornamentis habebant; quippe MESSIAS ex ABRAHAMAE stirpe genitus, non parum hanc nationem nobilitabat. Ipse PAVLLVS haec olim magni fecerat, & CHRISTUM cognouerat secundum carnem. *com. 16.* id est gloriatus fuerat suis natalibus ac sanguine,

guine; quem communem habebat cum CHRISTO eiusdem
 ABRAHAMI nepote, quem iudaei *καὶ τὸν πατέρα* parentem agnosce-
 bant. Quid ergo? an haec praerogativa quidquam sub nouo
 testamento valebat? Nihil profecto. Habebat olim suam lau-
 dem, sua in rebus non contemnendis beneficia, dum antiqua
 MOÏSIS oeconomia vigeat. Nunc aliter visum seruatori nostro.
 Nam si verum est, quod omnes olim vates cecinerunt, sub
 CHRISTO fore nouam regni formam: sane veteribus illis locus
 esse non potest; quae *παρῶν δὲν*, abolita sunt. *Ecce noua facta*
sunt omnia. Nouae gentes ad CHRISTVM accefferunt; noua
 illius familia: nouo per sanctiorem aquam transitu in eius ciui-
 tatem perueniunt: noua beneficia, noua miracula, noua sacri-
 ficia, noua libertas, noua de his praerogatiuis nec vana gloria-
 tio. Quae omnia sunt nouae illius oeconomiae bona. Atque
 haec noua constitutio, quae sacrificium CHRISTI eruentum
 vera fiducia nos amplecti iubet, sine cortice caerimoniarum,
 haec inquam vnice *τοῦ Χριστοῦ* valet ad reconsiliandam cum DEO gra-
 tiam, & obtinendam ex ista veram nobilitatem. Contraque, si
 quis institutis oeconomiae veteris nunc vi velit, is exiderit gra-
 tia seruatoris, & per circumcisionem ex illius ciuitate exclude-
 retur. *Gal. V. 3. 4.* Breuius alibi PAVLLVS. *Gal. VI. 15.* *sub*
Christo neque circumciso, neque praepitium valet quidquam, sed
noua illa constitutio, quae tota ad fiduciam & amorem contendit,
sine externis illis & antiquaris hoc tempore simulacris. *Gal. V. 6.*

Haec interpretatio, si cui noua, ideoque damnanda videtur, (quo-
 rum nec alterum non praesentimus, nec alterum magnopere de-
 precamur,) is meminerit *vulgatum* quem vocant *interpretem*,
 eumque satis verustum, sic distinxisse: *Si qua ergo in Christo*
noua creatura: vetera transferunt. Idque nec linguae gehim,
 nec sermonis texturam violat. *Κτίσις* autem vt oeconomiam de-
 notet, effecit ESAIAS, de cuius oraculo PAVLLVS haec ex-
 pressit. Nam ille de *substituenda oeconomia euangelica* in locum
 veteris illius *legalis*, agens, DEVM, inquit, *caelum nouum, &*
nouam terram esse conditurum. *Esa. LXX. 27.* Vbi, adducto hoc
 PAVLLI testimonio, norauit doctissimus VITRINGA, CYRILLO

atque PROCOPIO ac prope etiã HIERONYMO, id visum esse de verbis ESAIAE, quod modo diximus. Coniunxit vero PAVLLVS, quod saepe vsu venit in libris noui testamenti, alterum ESAIAE vaticinium, quod est cap. XLIII. 19. חנני עשה חדשה. *Esce facio nouum*, stilo PAVLLI, idē κτίσω τὸ καινόν, vel τὰ καινά, estque adeo hic καινή κτίσις: Bene ad hunc locum CAMPEGIVS VITRINGA: *Nemo ignorat, esse hunc verum & proprium characterem oeconomiae gratiae, quod omnia eius noua dicantur; secundum illud apostoli: vetera praeterierunt, omnia facta sunt noua.*

Hactenus igitur ἡ καινή κτίσις recte conuertitur *oeconomia noua*. Sed phras̄is altera ἐν χριστῷ in alienum plane sensum detorta videbitur, quando idem significare debeat, quod *sub Christo* vel *tempore Christi*. Nos autem non temere sic statuimus. Nam primo, sensum inde commodissimum gignitur, & aptissimus ad mentem scribentis, qui *oeconomiam sub Mose veterem, & alteram sub Christo nouam*, ex aduerso collocauit. Deinde idoneis graecorum scriptoribus comprobari potest, eam esse vim vocis ἐν, vbi nexum huiusmodi, cum nominibus sortita sit. Ex DEMOSTHENE iam pridem didicerat VIGERVS ἐν τῶν νόμων ἀρχαῖς idem esse ac latinorum phras̄in: *sub his legislatoribus*. Quo exemplo lululentius nihil esse potest. Compara Gal. V. 6. ἐν χριστῷ *sub Christo, neque circumciso quidquam vales, quae valuerat sub MOSE, neque praepitium, quod nihil vsquam valuerat*. Sic & Gal. VI. 15. eadem significatio recurrit.

** CAMPEGIVS VITRINGA, vir magni ingenii, qui & amplam doctrinam, & pietatem debitam ad explicationem sacri codicis attulit, verba PAVLLI. Coloss. 1. 16. & alia huius generis (nam locum nullum nominatim designat) vbi Pater dicitur omnia condidisse κτίσας per CHRISTVM, sic exponit, vt de ecclesia capiantur. Lege quae in hanc rem scripsit *commentario in Iesaiam part. II. p. 1065. Adeo vt, qui in Christo Iesu est, sit noua creatura: vetera praeterierunt; ecce noua facta sunt omnia, quo pariter sensu Deus omnia dicitur κτίσας, condidisse & condere per Christum*. In quo, tamen si aberret a mente scriptoris sacri, si locum

locum istum, & argumentum ibi tractatum consideres, tamen satis habemus, & rem ipsam per se ueram esse, & uocabulum *κλήν* tale agnosci a viro docto, quod posset ac soleat de ecclesia usurpari. Addimus ei FRIDERICVM ADOLPHVM LAMPE exercit. sacr. in Psalm. XLP. p. 573. ubi *κλήν Coloss. I. 15.* interpretatur ecclesiam. Quo nomine grauius obiurgatus est a uiris maximis, idque suo merito. Nam & PAVLLVS repugnat in isto loco, & SOCINI schola, quod hi uiri bona fide meditati sunt, callide ac insidiosè rapuit in contumeliam filii Dei. Accedit, qui primo appellandus erat, HVGGO GROTIVS, de uocabulo *κλήν*, in eandem sententiam disputans prolegomenis ad euangelia, itemque ad Ephes. II. 10. 13. III. 9. IV. 24. Coloss. I. 16. Qui male quidem hunc uocabuli significatum ad loca prorsus aliena traduxit, dignam proinde censuram expertus B. ABRAHAM CALOVI, qui magna argumentorum cohorte illum in CHRISTVM iniurias profligauit, tum in *bibliis illustr. pag. 804. tom. II.* tum singulari exercitatione ad Coloss. I. 16. Interea, quod male tractatum est hoc uocabulum, id fraudi non potest esse significatui, quem alicubi certe, propter ea quae circumstant, annuente linguae genio, tuetur.

§. II.

Articulus * uocabulo *κλήν* praepositus, denotat ecclesiam noui testamenti, quae, & quando est in his terris, & *αὐτὴ ἡ κλήν*, & *πῦρα ἡ κλήν*, in eodem sermonis tractu uocatur: id quod alia quoque sermonis ** indicia declarant. Est autem ecclesia *** uere talis, hoc est uniuersitas uere piorum, sub nouo testamento.

* *com. 19. ἡ γὰρ ἀποκατάστασις τῆς κλήν*, desiderium huius, quae nunc est, ecclesiae. Quoties per haec tria commata, 19, 20, 21. uocabulum *κλήν*, toties & articulus ei praepositus, adparet. Quin & *com. 21. αὐτὴ ἡ κλήν*, illa ipsa ecclesia, signatius dicitur. Quae res non obseruata, scopulum obiecit uiris doctissimis, qui crediderunt irrepsisse uocem *κλήν* e margine, uel duriuscule saltem reperi, per *ebraismum*. Sane ERASMVS, *critic. anglic. tom.*

com. IV. p. 2648. *sed creatura* inquit, *repetita*, duriusculam reddidit orationem. THEODORVS autem BEZA ebraismum incufat; & ZACHARIAS PIERCE, notante ven. WOLFFO, eandem scholii loco prius fuisse, postea immigrasse in ipsam orationem, caussatur. Quam parum habeant rationis hae suspiciones, facile ex iis, quae diximus adparebit. Namque non tantum non abundare constat hanc vocem, sed necessariam quoque fuisse, ad sermonis *δεινότητα*, res ipsa docet. *Oeconomiam noui testamenti* tam felicem sibi sinxerat quorundam credula pietas, ut nihil in illa fore calamitatum augurarentur. PAVLLVS respondet *αὐτῇ ἢ αἰσίου*, illa ipsa ecclesia, quam vos mente concepistis, illa, inquam, ipsa talis est, quae liberatione indigeat, quam & iudissime desiderat. Notum est philologis *articulum praepositivum*, saepius idem valere, quod *εἶς*, hic. Exempla vide Galat. V. 3. ἢ *πειρασῶν*, haec *persuasio*, vel, ut LUTHERVS transtulit, *talis persuasio*. Sic com. 13. ibidem, *οἱ περιτεμνόμενοι, illi, quamquam circumcisi, non observant ipsi legem*. Siluam huiusmodi speciminum habes apud GLASSIVM, *Gramm. Sac. lib. III, tract. II. Can. I. p. 168*. Sed & suffragantem hic habemus IACOBVM CAPPELLVM *notis ad h. l.* qui exponit: *haec enim creatura, (ut ἢ sumatur pro αὐτῇ, hoc, & 20. 21. 22. versibus) haec inquam universitas creaturarum*. Et celeberrimus PEYLINGIVS *articuli* toties repetiti vim agnoscit. *Observ. ad h. l. p. 277. §. 9.* Ceterum adiecimus, quae & quando est in his terris. Hoc proinde fuit necessarium, quia sequitur, subiectam esse illam τῇ ματαιότητι, sub spe secururae liberationis. Alia huius rei argumenta inferius tractabuntur.

** Non satis consultum foret, ex foliis articali nota vim argumenti reperere. Sed accedentibus reliquis iudiciis, necessaria est, & multum profutura talis observatio. Videamus de iis, quae ita suadent, criteriis. Primo, PAVLLVS, non multo ante, veteris *oeconomiae* meminerat, ubi πνεῦμα δουλείας εἰς φόβον acceperat, com. 15. cui opponit liberaliorem indolem filiorum sub CHRISTO, per quem factum sit, ut plena fiducia DEVM patrem compellemus, Ἀββᾶ ὁ πατήρ. Vnde ius quoque adevundi here-

hereditatem deriuat, *com. 17.* hac lege tamen, vt exemplo
 CHRISTI multas ante perferamus aerumnas, quam pleno pa-
 trimonio ex affe potiamur, prae cuius excellentia, omnis per-
 fectionum atrocitas pro nihilo ducenda sit *com. 17. 18.* Ceterum
 neque illos in hac vita cruciatus, neque spem amplioris patri-
 monii alienam esse a decantata illa felicitate *novi testamenti*, do-
 cer illico *comma 19.* Nam desiderium huius ecclesiae fertur in
reuelationem filiorum Dei. Clarius huic indicium accedit *com. 18.*
 vbi παθήματα τῶ νῦν καιῶς perfectiones praesentis aeni, hoc est
 ea, quae ciues noui testamenti (de quibus modo dixerat) propter
 CHRISTVM sustinent, opponuntur oeconomiae gloriose post
 fata huius mundi secururae. Ex quo statim pergit vir sanctus:
 ἢ γὰρ ἀποκατάστασις τῆς κτίσεως. Nam desiderium huius ecclesiae
 τῆς νῦν καιῶς, quae est hoc tempore tot incommodis obnoxia,
 meliorem demum sortem in altero beatorum orbe prospicit &
 exspectat. Vt enim haud abnuerim, posse alibi calamitates
 omnium temporum, quas ecclesia in hac terrarum orbe degens
 experitur, τὰ παθήματα τῶ νῦν καιῶς vocari, sicut manifestum
 est, sub veteri quoque testamento non defuisse piis calamitates:
 tamen hoc loco plenum est, de quibus afflictionum generibus,
 & de quo populo vir sanctus agat. De iis puta, incommodis,
 quae tunc temporis ecclesia, non obstantibus tot prae veteri
 testamento praerogatiuis, prope immodica & intolerabilia susti-
 nebat. Nulla ibi doctorum securitas, qui paupertate, nuditate,
 carcere, exilio, verberibus, suppliciis, indigne multabantur.
 Idem discipulis eorum piisque gregibus vsu veniebat; qui sub
 magistratibus a CHRISTO alienis, sub odium ebraeorum tum
 externorum, ab omnibus, praeter DEVM, deserti, vitam mi-
 ferrimam trahebant; adeo vt eos PAVLYS mortalium omnium
 addictissimos adpellet, nisi spe melioris aeni sua mala consola-
 rentur. *1. Cor. XV. 19. 20.*

Denique non improbabile nobis succurrit argumentum, in ipsa
 quam tractamus pericopa conspicuum; vbi ἢ κτίσις ἀποκατά-
 στασις, ecclesia haec suspirans atque desiderans proxime connecti-
 tur cum reuelatione filiorum Dei. Vetus ecclesia tamen vitae
 vitae

vitae cupidissima, sciebat tamen, inter illam interitici tempora MESSIAE; quamobrem illa ἀπολαδομένησιν suspirabat felicitatem noui status sub MESSIA, eumque ardentibus votis atque suspiriis ante vitam gloriosam anhelabat. Ecclesia sub CHRISTO, tamen si consecuta, quod veteres spectabant: tamen ingenti desiderio fertur ad meliora tempora, quae sane propiora sunt illi, quam fuerant ABRAHAMO, vel MOSI. Doctet profecto comma 22. sermonem esse PAVLLO non de ecclesia veteri, sed de illa quae nunc, nuncinquam, συνεσάξει ἡ συνάξει ἀχρητῶν ἢ ἰσχυρῶν, ac doctoribus coniunctis per hoc ipsum tempus defungitur. Et quid proclivius esse potest, quam ex illa, quae nunc sequitur, oppositorum ratione, quid sibi velit ἢ κτίσις, perspicere? Sistitur com. 21. ἀδύνη ἢ κτίσις, quae gemit sub seruitio Ἰησοῦ Φαρσαίου, corruptionis; ex altera parte collocatur libertas gloriosa filiorum Dei. Quis non videt ecclesiam hic ecclesiae opponi? illam quae gemit, huic quae triumphat. At illa quae gemit est talis, quae praesenti tempore & ἀχρητῶν ἢ ἰσχυρῶν, angitur, & liberationem huius corporis expectat. Forte nec illud omitendum videbitur, ecclesiam noui testamenti, cum femina parturiente ex aliquorum sententia comparari, Apoc. XII. 1. ff. Cuius rei vestigia PAVLLVS in vocem συνεσάξει & ἀδύνησιν abdidisse, dicitur, quae vocabula esse parturientium §. V. nos. * docebitur. Verum id non admodum exaggerabimus.

*** Potest vox ecclesiae ipsam constitutionem siue oeconomiam notare, sub qua viuunt homines CHRISTO fideles; potest & per metonymiam pios ciues in illa noua regni forma constitutos, indicare. Posterius est huius loci, sic tamen, vt tanquam adiunctum prioris consideretur, & non possit, nisi priori notione praesumpta atque substrata, satis intelligi; quoniam vox κτίσις & κτίσις, illam suadet animo concipere, sed quae circumstant, ad sanctos illius κτίσις ciues eandem transferre iubent. Nam ipsa profecto noui foederis constitutio neque gemere, neque parturire, neque expectare potest. Atqui haec tamen τῶν κτίσις tribuuntur. Ergo haec ei tribuuntur, si eius alumnos & filios consideres. Qui tropus tam est obuius in quotidiano etiam sermone, vt pro tropo fere non habeatur. Vt si quis totam
ait

ait laetari rem publicam; nemo non ciues rei publicae animo concipiet.

§. III.

Haec ipsa ecclesia nondum est ex omni parte, quod esse debet*; ideoque iustum est & necessarium eius desiderium, quo meliorem statum anhelat. Namque in hac terra degens** vanitati subest, seruitque corruptioni***. Et quamvis id nolit, ac libertatem & solidam* immutabilemque gloriam praecipitet: tamen veneratione** sui domini, cui ita visum est, & qui spem amplissimam*** huic seruituti proposuit, tam diu suffert ac suspirat, donec completo priorum numero, libertatis dies illucescat.

* Haec est ratio connectendi comma 20. cum praecedenti 19. Docuerat enim PAVLLVS flagrare desiderio hanc ecclesiam, quoniam statum imperfectiorem, & ex parte calamitosum experitur; & meliorem tamen spe certissima praelibare iussa sit.

** Τῆ ματαιότητι ὑπετάγη. Vocabulum ματαιότης, quod statim cum altero, φθόγγη permutatur, haud dubie latius regnat, quam viris quibusdam doctissimis visum est. Quidam idololatriam interpretantur, cui caeca paganorum turba, ἡ κτίσις, mancipata fuerit. LOCKIUS certe & BRYANVS TURNERVVS id voluerunt. Sed frustra tamen NORTONVS KNATCHBVELLVS, miles & Baronetus, in hunc censum vocatur. Nam is, animadversionibus in nouum testamentum, ματαιότητα exponit corruptionem erroris & peccati, quanquam deinde mentionem faciat cultus idolorum, quem tamen speciminis tantum loco, inter reliqua profanarum gentium peccata, commemorat. In quo suffragatus est ciui suo IOANNI LIGHTFOOT, qui, horis hebraicis & Talmudicis in Marc. XVI. 15. operum tomo 11. p. 468. hunc locum PAVLLI ex instituto exponit. Accipe verba eius. Τῆ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, &c. Nam vanitati (mentis suae) subiectus est totus mundus ethnicus (vt Rom. 1. 21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διανοημοῖς αὐτῶν. Et Eph. IV. 17. ἐθνή περιπατεῖ ἐν ματαιότητι.

ταύτην, τοὺς αὐτῶν) non volens, sed propter eum, qui subiecit enim. Nos vocem ipsam considerabimus. Ματαιότης est illa rerum conditio, qua nihil stabile ac solidum habent, sed mutationi & corruptioni sunt obnoxiae. Vnde statim per φθορὰν ab apostolo exponitur. Quia & PHAVORINVS NOTANTE ANGLO paullo ante laudato, ac post eum ven. DEYLINGIO, μεταίωτητά explicat φθορὰν. Porro illud fluxum, leue, transitorium & instabile, modo corporeis rebus & quae ad corpus pertinent tribuitur, modo his quae ad mentem. Priori sensu tota haec mundi fabrica est obnoxia μεταίωτητι, ne hominis quidem corpore excepto. Sic & actiones cum oblectamentis sensuum coniunctae, sunt μεταίωτητι obnoxiae, sicut Salomon docuit. *Koheh. 1. 1. 2.* propterea quod voluptatem vel vitiosam & inanem, vel breuem & fluxam & certe cum hoc ipso corpore interituram, praestant. Posteriore sensu, quum μεταίωτης ad res animi transferratur, id significat, quod in intellectu est vagum, falsum, absurdum, & nihil solidae veritatis habet. Sic deastrorum cultores ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. *Rom. 1. 21.* id est, neque veram & solidam diuinitatis ideam habuerunt, sed ad sexcentas res transtulerunt absurdam de diis opinionem, adeo ut herbas etiam & insecta pro diis haberent: neque ex consideratione naturae diuinae officia DEO debita collegerunt. *conf. com. 23. d. 4.* Bene igitur PHAVORINI glossa: μεταίωτης est πρᾶγμα ἀνόητον βελή ἀνυπόστατος, negotium insipiens & consilium instabile. Sed voluntas quoque τὴν μεταίωτητά πατitur, quando vera & solida bona non adpetit, vel non satis constanter. Vnde tot motus animi se inuicem oppugnantes, vt nihil solidae voluptatis degustari queat.

Haec vanitas alio statim vocabulo dicitur φθορὰ. *com. 21.* quod corruptionem significat, hoc loco mutationem in deterius, quae rebus humanis accidit, vbi per tristioiorem catastrophem prior quasi forma rerum destruitur, vbi, quod statum nostrum perficiebat, subito euanescit, & intercedunt alia, quae corrumpunt operam sortem, nullumque gaudium sincerum esse patiuntur. Sic piorum corpori μεταίωτης accidit & φθορὰ, per morbos,

morbos, dolores, senium, mortem. *Animo*, per sensum imperfectionum in vtraque eius facultate: per metus, terrores, iram, tristitiam: quorum causa quotidie creberrima nascitur, praesertim CHRISTI ciuibus, quando seruatoris hostes neque solertiae, neque violentiae vnquam parcunt. Quid dicam de hostibus intestinis, *carne & peccato*, quorum fraude saepius accidit, vt placida mentis tranquillitas & gaudium in spiritu sancto, gemitibus ac lamentis interpelletur: id quod suus quemque sensus, & DAVIDIS in hanc rem querelae satis docebunt. Paucis dicam: quicquid est in hac vita, quod gloriosae libertati filiorum Dei repugnat (nam illa statim opponitur τῆ φθορᾷ καὶ μεταίωτη,) id nomen habet vanitatis & corruptionis. Itaque vanitas & corruptio erit generatim cumulus ille imperfectionum, quas propter lapsum ADAMI pius quisque in hac vita, tum interius tum exterius magno suo dolore sentit ac experitur.

*** *Ecclesia subiecta est vanitati & in seruitute corruptionis constituta.* ὑπετάγητῃ μεταίωτη, *com. 20.* & est in δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, unde liberationem sperat, *com. 21.* Obseruandum est vocabulum ὑπετάγητῃ hic veri debere: *subest, subiectionem tolerat*, vt saepius verba passiva ponuntur pro neutris, obseruante ad h. l. GROTIO. Et hoc ipsum vocabulum saepius significat *subesse, subiectum se praestare*, sicut & in hoc capite, *com. 8.* νόμος θεῶν ἐξ ὑποτάσσεται, *legi diuinæ non subest.* Et *Rom. X. 3.* iustitiae diuinæ ἐξ ὑπετάγησαν, se subiectos non praebuerunt. Haec obseruatio huc valet, vt promptius connectantur sequentia, ἐξ εὐσεβείας, ἀδικαὶ διὰ τὴν ὑποτάξαντα.

Is qui subiecit, haud dubie DEVS est. Idem enim sperare eos iustus; idem liberator, & vindex in libertatem gloriosam, illico in sequentibus verbis adpellatur. Ex antiquis id agnoscit TERRULLIANVS, tum *de corona*, tum *in apologetico*: e recentioribus ZEGERVVS, IACOB. CAPPELLVS, GROTIVS, KNATCHBULLVS, WOLFIVS, & si qui sunt alii. Aliis tamen rectius visum, si ad ipsum cacodaemonem hoc referatur, qui res, bonas a DEO conditas, turpissimis prauorum hominum cupiditatibus mancipet, & per abusum nefandum, redigat in

seruitutem. Placuit hoc BRYANO TURNERO, quem & illa, de relicto malorum geniorum domicilio sententia, in eruditorum ciuitate conspicuum fecit; CALOVIUS in *castigationibus* Grotianis ad h. l. p. 139. τὸν ὑποτάξαντα dicit esse hominem, qui per abusum creaturarum, eas vanitati subicit. Verum non fauet huic opinioni quod additur ἐπ' ἐπιδοί προposita spe liberationis. Certe neque *Satanas* neque prauī homines vanitati quidquam subiciunt spe liberationis; sed si penes illos esset, aeterna seruitute premerent τὴν κτίσιν. Adde, quod vocabulum ὑποτάσσειν de subiectione solet adhiberi, quae fit sapienter, & arbitrio domini supremi; vt *Psalms. VIII. 7. 1. Cor. XV. 27.* Vnde & pater caelestis ὁ ὑποτάξας adpellatur *1. Cor. XV. 28.*

Eadem vero subiectio seruitus corruptionis dicitur. Notandum est in nouo testamento id seruitium dici, quod aliquis sua quidem cum molestia praestat, sed ita tamen, vt non possit illo superfedere: sic PAVLLVS se queritur venundatum sub peccato, i. e. quamdiu esset in hac vita, solui non posse a molestissima peccandi necessitate, quae propter insidens ab ADAMO malum, sanctissimis hominibus imponitur. Quare seruire & ὑποτάσσειν vnum idemque notant; praesertim cum illa vanitas & corruptio talia sint mala, a quibus olim liberationem impetraturi simus. Liberatio autem propria ferme erat mancipiorum, vnde fors illa imperfectior, a qua vindicandi sumus ad gloriosam filiorum DEI libertatem, seruitus vocata fuit. Congruerat etiam stilo PAVLLI, vt ei seruire dicamur, cui ante nos subiectos esse dixerat, vt adeo δουλεύειν & ὑποτασσέσθαι, sibi pulcre respondeant. Potest etiam allusio inesse his phrasibus, ad statum ecclesiae Iudaicae sub adfectionibus Aegyptiacis, vbi suberant vanitati, & seruitio corruptionis sub spe tamen securitatis liberationis, qua superueniente, penitus adparebat esse DEI filios, vel DEI populum, qui tantopere sub seruitio crudeli genuissent.

Vnum quaeri potest: *Quomodo ecclesia dici possit ab ipso Deo subiecta vanitati?* Certe quoniam & imperfectiones animi referuntur ad illam vanitatem, sicut ex nor. ** superiore liquet; videri possit ipse DEVS causa peccati hoc modo fieri, qui subiecerit homi-
nes

hunc ei scriptum. Fortassis haec dubitatio permonuit auctores clarissimos, ut hanc *sub vanitatem subiectionem*, vel *hominibus*, vel *satanae* tribuerent. Verum expedita res est, si cuncta rite pensauerimus. Constat e sacris litteris, *earum imperfectionum*, quae in hac vita nos undiquaque circumstant, earum inquam omnium fontem atque causam esse hominis primi peccatum. Per *unum hominem*, uti PAVLLVS ait, malum omne in rerum naturam inuectum est. Ab isto vero malo DEVS nos liberat per CHRISTVM; idque vel ex parte in hac vita, vel plenius post hanc vitam. Quod non statim hos DEVS liberat plane ab istis malis, sed subesse permittit vanitati vsque ad statum diem; id est inexplicabilis sapientiae, quam nos totam non perspicimus. Satis est, cum in hac vita quoque suppeditare affatim, quibus ita morderi liceat peccatis, ut veram salutem non intercipient. Satis est liberationem plenam certo consequi. Reliqua incommoda nos merito exerceant, & multarum possunt causa fieri virtutum. Quocirca DEVS ecclesiam subiecit vanitati, hoc est, in statu imperfectionibus plenissimo, tamdiu relinquit eam, quamdiu eius sapientiae bonitatisque videtur. Quaedam eius bonitatis ac sapientiae specimina Petrus attulit, 2. Pet. III. 9.

* Subest ecclesia vanitati *ἐκ ἐνοχίας*, nequaquam sponte, hoc est, subiectionem istam tolerat, non quod ea delecteretur, sed quod amat ac reueretur illum dominum, cuius arbitrio sapientissimo subest vanitati. Itaque non se iactat eo statu, in quo tot vanitatibus obnoxia est, (alias enim *ἀποκαταδουσία* locum non haberet) sed solui velit & apud CHRISTVM esse, & a corpore mortis huius liberari. Rom. VII. 24. Opponitur hoc vocabulo ecclesiae iis omnibus, quorum in hac vita posita est felicitas, ut DAVID ait, & qui, si suo sibi arbitrio fingere debeant suam sortem, sponte & summa cum oblectatione agerent aeternam in terris vitam, pastu corporis & reliquis, quae ad ventrem pertinent, vnicè beati. Spes ibi nulla futuri, nulla solidorum expectatio bonorum, quod de paganis alibi PAVLLVS adfirmat. Sed ecclesia longe aliter affecta est. Id equidem cum prava turba commune habet, quod a supremo domino *subiecta sit vanitati*,

sed hoc rursus ab illo terrestri grege seivndum, quod nulla
delectatione in statu tam imperfecto versetur, sed ad spem me-
liorum temporum identidem animo recurrat, in caelo habitet,
& quae in illa vanitate vitiosa sunt, ac aliqua cum offensione
DEI coniuncta; illis ἐξ ἐνοῦσα, sed summo cum suo fastidio,
dolore, taedio, tristitia implicetur. Idque ex hominum *regni-
corum* indole facile perspicitur. Est enim in illis viua & diuina
summi boni notitia, quae voluntatem stimulat, ad illud vnice
expetendum. Sciunt, & fide sua praegustant plenam eius
boni in altera vita possessionem, quam hic PAVLLVS reuelatio-
nem filiorum DEI, & gloriosam libertatem adpellat. Habent
in se Spiritum S. testem & obsidem eius, quod patrimonii loco
in caelo illis repositum est. Quamobrem quantulumcunque id
est, quod viuunt in hac terra, molestum ac taedio plenum ad-
paret, quoribus animo ad beatissimam patriam, & solidissimas ibi
delicias, reuoluuntur. Ne quis tamen indignationem quandam
aduersus DEVM, aut immodestam oblectationem, e phrasi ἐξ
ἐνοῦσα, colligere, & opinari possit, ecclesiam velut exoptulare
cum DEO, quod non maturet liberationem a vanitate: ne quis
inquam tale quid somniare posset, cavet PAVLLVS, addito,
quod sequitur, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι, sed propter
eum, qui subiecit eam, spe proposita status melioris.

*** Αλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι. Sed propter eum, qui subiecit
illam, spe sortis melioris proposita. Quo loco phrasis ἐπ' ἐλπίδι
potissimum collocanda sit, critici ad hunc locum consulantur.
Nobis iste quem dedimus, verborum ordo, commodissimus vi-
detur, & habet auctoritatem interpretum. Plus est momenti in
praepositione διὰ, quam nonnulli vertunt per. Neque est in-
ficiandum, hanc voculam quarto casui, nonnunquam isto signi-
ficatu adhaerere. Docuit hoc clarissimus ELSNERVS obs. S. ad
Rom. III. 25. & ven. IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS ad
Io. VI. 57. Fatetur CASTALIO se idem edoctum, ab HIERO-
NYMO WOLFIO, qui auctoritate DEMOSTHENIS, oratione pro
Megalopolitanis, bis illud comprobavit, & in SOCRATIS pane-
gyrico notauerit, vbi legatur δι' ἡν ἐρώθησαν, pro δι' ἡς, per illam.
Plura

Plura loca ex eodem DEMOSTHENE & DIONYSIO HALI-CARNASS. attulit VIGERVS, quæ si placet, euolue. Nos ad PAVLLVM revertamur, visuri an hæc significatio eius menti congruat. Dixerat *ecclesiam* non oprantem & exultantem subesse vanitati; nunc addendum erat, cuius mandato & arbitrio hæc sortem patiatur? responderet PAVLLVS, δια τὸν ὑποτάξαντα. Quod hæcenus haud absurde veritas; per illum ὑπετάξαν, qui hæc ὑποτάξιν, tanquam supremus dominus efficere, atque spem liberationis adicere potuit. Ceterum quoniam & vulgatio est significatio propter, & largior ad sermonis vim reique amplitudinem, non immerito illam præferemus.

Subestigitur *ecclesia* vanitati, propter illum dominum, qui eam subiecit. Nempe subest ἐκ ἐνοουα, inuita: ne tamen illud vanitatis rædium desinat in indignationem & ferociam aduersus voluntatem DEI sapientissimam: crebro sibi proponit *ecclesia*, illius domini arbitrium, eaque cogitatione compefcit illud rædium, ne patientiam aut modestiam ex animo proscibat. Nimirum nouit *ecclesia*, sanctam & sapientem esse DEI voluntatem, quæ sic statuerit, vt ipsa aliquamdiu in his terris, & propter ADAMI culpam, sub vanitate moreretur; donec libertas opratissima sub sinem huius mundi succedat. Eius domini sanctitatem & sapientiam pie veneratur; sustinet ac tolerat vanitatis incommoda, & in eius arbitrio parerno conquiescit; gemens interim & suspirans libertatem;

*** Additur ἐπ' ἐλπίδι, quod est nouum argumentum, quo omnis indignatio & ferocia aduersus DEVM profigatur ex illorum animis, qui volentes seruiunt corruptioni. Par est supremi domini voluntatem venerari, tametsi dura nobis proposuisse videatur. Ideoque si nihil aliud, certe ὁ ὑποτάξας, dominus ille subiciens, efficere debet, vt vanitatis conditionem placide feramus; nullo etiam præmio proposito. Sed benignius nobiscum agit ille dominus, & spem quoque amplissimam ostendit. Subiicit *ecclesiam* vanitaci, ἐπ' ἐλπίδι, adiecta spe, fore niturum, vt aliquando cesseret ille status; neque cesseret solum, sed in alterum ex omni parte beatum desinat, qui commate sequenti describitur.

§. IV.

Ἀποκατάδοσις τῆς κτίσεως est ardens & inexplabile desiderium piorum noui testamenti, quo suum sponsum ad alterius vitae delicias, iam sibi propiores**, spectant***, vrgent ac deposcunt.

* Quaecumque sit huius vocabuli vis & vehementia, ex etymo. complures demonstrant, postquam id maximus HVGGO, notis ad hunc locum, semel e glossariis, HERODOTO, ARISTOPHANE, CICERONE, docuerat. Cui adiicit auctoritatem POLYBII, clarissimus RAPHELIVS, annot. in N. T. e. Polyb. ad h. l. Conferatur etiam ERASMVS ROTEROD. qui annot. in h. l. vox haec, inquit, non simpliciter significat expectationem, sed vehementem & anxiam expectationem, ut testantur graeca scholia, quae graecanicae vocis emphasim indicant, cum ex corde quidpiam expectatur, unde nos vertimus sollicita expectatione, ex ἀνοξία caput, & δοκῆν videri, quod, qui vehementer desiderant aliquid videre, porrecto capite subinde prospiciunt. Vnde AMBROSIVS exponit frequentem expectationem; Hilarius longinquam, quod prolato capite longius prospicimus. Addimus, etiam latinos ita loqui. LIVIVS lib. III. c. XLVII. civitas erecta expectatione stabat. Nos ne compilemus aliorum serinia; quae ad rem pertinent, breuiter exponemus.

1. Nititur hoc desiderium (α) promisso quodam non dubitabili. Nam sine certo indicio, aut promisso boni futuri, suspensum esse desiderio, idem est quod desipere. Promisit CHRISTVS meliora facta suis ciuibus, in eo regno, quod post hanc vitam exorsurus est. Quocirca recte & suo iure expectant. Haec autem promissa passim in vtroque foedere leguntur, & prouocat ad illa PETRVS 2. Pet. III. 13. Expectamus autem novum rerum statum κατὰ τὸ ἐπαγγελμα αὐτοῦ, ex illius promisso. (β) Haec expectatio mandato domini sustinetur. Nam inter officia piorum, ad quae tuenda castigantur ab illa salutifera DEI gratia, haec etiam expectatio posita est Tit. III. 11, 12. vbi est abdicare prauas cupiditates, viuere pie iuste ac sobrie; & expectare speratam reuelationem IESV CHRISTI.

II.) Fer-

II.) *Fertur* hoc desiderium ad meliorem statum tum mentis nostrae tum corporis, quem pii ex verissimo DEI promisso, tanquam certo futurum agnoscunt, & quodammodo praesentiunt. Vocatur haec prosperrima rerum facies, *revelatio filiorum Dei, com. 19. libertas gloriosa filiorum Dei, com. 21. ius filiorum Dei, com. 23.* de quibus infra.

III.) Suscitatur hoc desiderium ab ipso DEI spiritu, cui sanctiores animi motus in solidum debentur. Sicut enim *tranquillitas mentis & gaudium in hac vita caeleste*, eidem spiritui debentur, *Rom. XIV. 17.* atque *amor DEI* per eundem nostros in animos effunditur, *Rom. V. 5.* quin & *sper* ab eodem gignitur & confirmatur, propterea quod ipse est pignus hereditatis speratae: sic etiam calidissimum hoc ecclesiae desiderium ab eodem proficiscitur. Id quo modo fiat, non penitus nobis cognitum est. Sed quaedam explicare licet. Nam quoties offert menti nostrae imaginem futurae felicitatis, in sacris litteris ab ipso depictam, quoties aliquid eius gloriae nobis praegustandum exhibet, quoties eius diei certissimam adpropinquationem docet; eoque movet voluntatis nostrae nisum: toties incalescit animus, tantarum expectatione rerum suspensus, & quasi extra semet ipsum raptus. Quare & ipse *com. 16.* huius *cap.* dicitur testimonium perhibere nostrae menti, & in nobis *clamare, com. 15.* edere gemitus nullis verbis explicandos, *εναγκυμὸς ἀλαλήτης, com. 26.* Huc tamen & externae res conducunt, ut aerumnae piorum, quae cogunt eos sperare liberationem.

IV.) Est illud desiderium motus animi regeniti a spiritu sancto concitatus, qui fertur in gloriam alterius vitae, cuius moram longiorem, salva tamen patientia, deprecatur.

**** Propriorem dixi, quoniam inter oeconomiam novi testamenti & gloriosam libertatem filiorum DEI, nulla intercedit alia, quae gloriosam istam sempiternam longius ab expectatione piorum remoueat. Videretur hoc ex emphasi vocis posse cognosci. Significat mihi illa, exserto quasi collo aliquid spectare. Quod tale est, ut erecto non ita longe tamen abest, ut oculorum aciem prorsus effugiat.**

D

Quare

Quare seruator optimus maximus, cum nos admonet de signis aduentus sui, & erecto vertice iubet prospicere, hanc causam addit: *quoniam propinqua est vestra liberatio. Luc. XXI. 28. ἀνακύψατε, καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν. Suspendite, & erigite capita vestra, propterea quod adpropinquat vestra liberatio.* Liqueat id etiam ex natura illius, quod hic describitur, desiderii. Nam quo propius res optabilis admouetur, eo vehementius intenditur nisus voluntatis, ad percipiendum eius fructum, quo diutius carere, sibi molestum ducit. Videtur a PAVLLO respici ad illa patriarcharum suspiria, quibus aduentum promissi seruatoris anhelabant. Certe ABRAHAMVS diem Christi praecidens, exsultabat iam tum animo, summoque desiderii impetu, ad eius ἀποκάλυψιν ferebarur. Ac testatur CHRISTVS, reges permultos ac vates hoc desiderio videndi MESSIAE correptos, non obtinuisse, quod spectabant.

*** ἀπεδέχεται, qua lege dicendi, copulari possint haec duo vocabula, ἀποκαταδοκία ἀπεδέχεται, non est eadem philologorum sententia. GROTIUS ἀποκαταδοκίαν τῆς κτίσεως explicat τῆν κτίσιν ἀποκαταδοκῶσαν, creaturam expectantem. Quod amplectitur B. THOMAS ITTIGIUS, *disp. de creatura gemebunda*, §. 56. Quae sane observatio frustra fuit a non nemine sollicitata. Nam per se ipsa, nec aliena est a more loquendi apud scriptores sacros, nec profus hoc loco quidem, improbanda. Namque adūs expectandi sic refertur ad illud subiectum, cui recte & per naturam expectatio conuenit. Deinde vis non infringitur huius desiderii, quando κτίσιν non simpliciter expectare, sed ἀποκαταδοκῶσα exserto quasi collo, expectare dicitur. Ceterum natia quoque verborum series & natus exinde sensus retineri potest. Nam ista fere linguarum est indoles, vt, cum substantiuo iungatur verbum, eiusdem vel originis vel significationis, addito statim obiecto, in quod actio verbi tendat; tunc verbum nihil aliud denoret, quam exercitium actus illius, in suum obiectum. Ideoque ἀποκαταδοκία ἀπεδέχεται, desiderium expectat, idem est ac si dixisset, vehementissimum illud desiderium prorumpit ac fertur ad reuelationem filiorum DEI. Adde quod alia quoque
ratio

ratio huic phrasi subesse queat. Nam ista ἀποκατάστασις, quae tam vehementer ad bonum, longius quam cupias remotum, fertur, tamen ita suam vehementiam temperat, ut nequaquam ferociter insurgat ac indignetur, sed potius placide & patienter expectet: ita, ut nec ardor desiderii patientiam extinguat, nec propter patientiam languescat desiderium. Quod non putamus a PAVLLI mente remorum: fatemur tamen & GROTII rationem hanc ipsam gignere sententiam. Vide quae CAPPELLVS hanc in rem attulit, infra, cap. III. §. 4. not. **. & maxime, quae PAVLVS ipse subiicit com. 25. δι' ὑπομονῆς ἀπεδεχόμεθα, per patientiam expectamus.

§. V.

Hoc tam avidum ecclesiae militantis desiderium, gemitus * & quasi nisus parturientium adiunctos habet, qui toti ** sunt ecclesiae verae communes ***, & ante fata huius mundi nunquam * cessant.

* οὐνεκ αἱ ἐξ οὐρανῶν. Emphasin huius vocabuli plures exposuerunt. Notavit GROTIUS, sicut τὸ ἄδιδεν, ita & γενέσθαι esse parturientium, quae cum gemitu & suspiriis spem suae familiae enituntur. Et coniunctio huius verbi cum ἀδιδεν id omnino suadet, quod extra hunc nexum, nemo facile suspicaretur. Sed opportune hic observavit CAPPELLVS, parturientium non tantum esse, ut sensu tangantur sui doloris, sed etiam enitantur fetum suum. Hoc nimirum eo valet, ut mentem PAVLLI sub his vocabulis reconditam, feliciter perspiciamus. Gemunt & adstantur parturientes, cum dolorem sentiunt gravissimum, sed ita tamen sentiunt, ut prae vehementissima spe & expectatione novae prolis, illam molestiam prope nihili faciant, & superent cogitatione gaudii, quod & sub illo & ex illo dolore nascitur. Ita gemit ac dolet parturiens ecclesia, quando gravissimo quodam sensu maiorum tangitur, tum propter naevos sibi in hac vita inhaerentes, tum propter varias calamitates, quas civis eius, animo & corpore sustinet. Sed hic ipse dolor & gemitus prope ducitur pro nullo, quoniam sub illo gliscit & vivit desiderium & spes secundissima novi corporis, novaeque libertatis filiorum DEI.

Porro quae femina *ἀδνει* & *σπάζει*, illa vehementiorem quoque conatum enitendi partus, eo ipso tempore exercet, & suspirando velut adiuuat & vrget pariendi negonium. *Ecclesia* validissimo nisu trahitur ad illam *παλιγγενεσίαν*, qua noua rerum forma nascetur. Ipsa illa suspiria preces & lacrimae vrgent ac maturans aduentum illius diei, quo nouum caelum & noua terra resurget. His votis & gemitibus *προσδοκῶντες καὶ σπεύδοντες τὴν παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ*, 2. *Pet. III. 12.* permoueat sponsum suum, vt acceleret promissum diem, neque nimis diu moretur.

* * Πᾶσα ἡ χριστιανικὴ τὴν ἡμετέραν ἐκκλησίαν, quae est sub nouo testamento. Nam necesse est omnia illius genuina membra, quae & quando sunt in hac terra, eodem desiderio ferri ad regnum caeleste. In promptu est ratio. Eadem est omnium fors in hac vita, nimium exercita ac molesta, planeque talis, quae desiderium accendat melioris regni. In omnibus pariter insidet idem *DEI* spiritus, qui *σπάζει*. Ad omnes aeque pertinet promissio. Omnes obligat mandatum idem. Omnibus praeparata est illa gloriosa libertas filiorum *DEI*, cuius iura iam tum in *παλιγγενεσία* sunt adepti, & e qua non nihil in hac vita praelibant.

Vir sacri codicis consultissimus *FRID. ADOLPH. LAMPE*, eo loco, quem supra notauimus, hic agi de ecclesia profiteretur. Sed vox *πᾶσα* flexit eum in hanc opinionem, vt ecclesiam omnium temporum sibi mente conciperet. Cui nos quaedam obstare putamus. *Articulus* ἡ, praesentem hanc noui testamenti ecclesiam, limite quodam terminat, & tum a veteri, tum a futura triumphante seiungit. Contra vox *πᾶσα*, totam vniuersitatem huius, quam dixi, *oeconomiae* complectitur, ne quis vllum eius ecclesiae ciuem, inde a primordiis, ad finem vsque, secludat. Deinde nescio an de ecclesia omnium temporum ab *ADAMO* ad hunc vsque diem, dicere vir sanctus potuisset, quod nunc etiam gemat, ac parturiat suam libertatem? Ratio haec est: ante *CHRISTI* aduentum in carnem, ecclesia non potuit finem huius mundi sic optare ac suspirare, vti hoc loco illum suspirare p̄i cuncti dicuntur. Sciebat enim quantum intercederet aui inter suam & alterius vitae periodum, Proxime suspirabant illi *MES-*
SIAM,

SIAM, sicut supra dictum, Nos eundem, sed ad *libertatem gloriosam filiorum Dei*. Neque vocabulum *adivā*, ad tempora ab adventu CHRISTI remotiora, quam est novum testamentum, referri posse crediderim. PAVLVS eam vocem cogitate, & sapienter, & exquisite, adhibuit. Denorat illa nisi partui proximum; hoc est, imperum piarum mentium, quo, cuncta operantur ad videndam rerum innovationem, quae caelestem gloriam & libertatem ab omnibus aerumnis adferat. Sicut agri & arbores verno tempore pleno succo protrudunt & virgent spem messis, ideoque *parturire* dicuntur poetarum principi:

Et nunc omnis ager nunc omnis parturit arbos:

ita clientes CHRISTI, non tantum *primicias* messis, sed plenam & beatam copiam, proximo quoque tempore adfuturam, praestolantur ad eamque cunctis viribus ac voris contendunt. Quibus omnibus rite collectis, satius esse videbimus, *ecclesiam novi testamenti* parturientem, ac desiderio flagrantem novae *vitae*, quam omnis acui, totamque intueri. Equidem haud inficior, ipsum, quem pressimus, articulum *ἡ*, quodammodo saluum videri, si designet *ecclesiam*, quae & quando est in terrarum orbe, ut hoc modo illa caelestis ac triumphans, a militante distinguitur. Verum ex ipso sermonis tractu iam notauimus, quae hanc opinionem probabilem esse vix pariantur.

*** Toti ecclesiae *novi testamenti* communes esse hos gemitus & suspiria, vox *ἡ* iam docuit. Sed docet etiam *praepositio οὐδ*, utriusque verbo, *οὐσὲν ἡ*, καὶ οὐσὲν ἡ, addita. Itaque *οὐσὲν ἡ καὶ οὐσὲν ἡ*, est: *simul gemit, simul parturit*. Neque enim referri putem hanc *praepositionem* ad diuersa, in quibus sit idem gemitus, idemque parturiendi nifus: sed ad eandem piorum societatem, quae *coniuncto gemitu ac nifū* suspirat, & urgeat idem. Non sum nescius, interpretibus literatissimis haud ita videri. Existimant, illam rerum naturam, caelum, terram, maria, & totam murarum animantium vniuersitatem *suos gemitus sociare cum piis hominibus*, vel *alienigenas ad Christum adductos*, simul gemere cum *indaeis Christo deuotis*. In quo sensu *ellipsis* est, at minime dura, & haud grauare concedenda, in hunc modum:

συστάσει ἡμῶν. Sicut in hoc capite συμμαχουσι τῷ πνεύματι ἡμῶν, *com. 16.* Ceterum nec opus esse hac ellipsi, facile constabit. Vox πᾶσι de vocibus *collectivis* adhibita, apud graecos, ebraeos, latinos, germanos, significat omnes partes eius rei, quam nomen *collectivum* designat. Sic in *veteri testamento* saepissime legitur *omnis populus: in nouo, omnis vrbs*, apud latinos, *omnis ciuitas*, & quae sunt huiusmodi, vbi *omnis est totus*. *Omnis exercitus conclamat*, idem est, quod omnes in eo exercitu milites, sociato clamore perstreperunt. Sic *Eph. IV. 16.* πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβασόμενον, *totum corpus suis partibus connexum & coagmentatum*. Lege GROTIUM; notis ad h. l.

Ceterum nec omitendum illud est, ecclesiam suspirantem duplici modo a PAVLLO considerari. Primo, vt pro se ipsa *communiter* desiderat, & anhelat liberationem totius, qui est sub nouo foedere, piorum gregis: deinde vt pro se quisque gemit, & incenditur, vt saltem ab hoc corpore liberetur. Prius illud, commune totius noui testamenti desiderium commatibus 19. 20. 21. 22. & 23. dimidio, exponitur; Alterum vero, singulorum, medio *commate 23*, (vti paullo post monebimus) inchoatum, iis phrasibus depingitur, quae non obscure possunt intelligi. Hactenus ergo *ecclesia noui testamenti vniuersa*, tanquam illa sponsa, sociatis gemitibus ac nisu communi rapitur ad alterius vitae gaudia, siue vt IOANNES explicuit, *Apos. XXII. 17.* καὶ τὸ πνεῦμα καὶ ἡ νύμφη λέγουσιν: Ἐλθέ. *Et spiritus atque sponsa dicunt: ueni!*

* ἀχες τῆ νῦν, nunquam cessarunt illa suspiria, quamdiu fuit nouum testamentum, neque cessabunt in posterum, quamdiu DEI ciuitas in terris futura est. Ea vis est formulae ἀχες τῆ νῦν, hucusque. Compara *Philip. I. 5*, vbi PAVLLVS laetatur de suis auditoribus, qui perstiterint in fide Christi, vsque in illum diem: vbi sane tempus futurum non excluditur. Sicut *1. Cor. IV. 11.* PAVLLVS adfirmat, quod iniurias, probra, labores, sustineat ἀχες τῆς ἄρας ἡμέρας, vsque ad illam horam, vbi sane reliquum vitae tempus neque ab aerumnis illis, neque labore, se iungit. Quamobrem non reprehendendus erat *Scholasticus graecus*, ad hunc locum, qui teste KNATCHBVLLO explicat eis τὸ τέλος, ad finem

finem mundi. Quamvis enim ipsa per se phrasis, illud non necessario significet; hoc loco tamen res & argumenti natura illum sensum subministrat.

§. VI.

Quando ecclesiam suspirantem contemplati sumus, nunc illud quoque videamus, quod tam auide ab illa desideratur. Est autem * *reuelatio filiorum Dei*, & *libertas* ** *gloriosa filiorum Dei*, & *ius*, *sive status filiorum*: quibus nihil aliud, quam status regni gloriae post huius mundi fata, significatur.

* *Com. 19. ἀπαλάψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ*. Is est ille status regni CHRISTI, quo conspicuum fiet toti mundo, quinam sint filii DEI. Quod fiet ante tribunal CHRISTI, vbi nouissimo iudicio ad dextram CHRISTI collocandi sunt, & ab omni tum hominum tum angelorum coetu cognoscendi, quos ipse, DEO filios, sibi fratres & coheredes, ad societatem gloriae adfiscet. Illa quidem filiorum DEI nobilitas & excellentia latuerat ante sub vanitatis obducto velo, sed tunc docente Ioanne 1. ep. III, 2, luce palam adparebit.

Monuit GROTIUS, fieri non posse, vt ἡ κτίσις designet filios DEI, cum iidem dicantur expectare reuelationem filiorum DEI. Accipe verba eius; Hic κτίσις sunt qui intelligant Christianos, qui noua sunt creatura, sed ii simpliciter, & sine additamento κτίσις non vocantur. Neque satis cohaeret sermo, si iidem sint κτίσις & υἱοὶ τοῦ Θεοῦ. Sed, quod primum ad vocem κτίσις obiicitur, facile diluet ea responsio, quae supra §. VII. suppeditatur, vbi satis est additamenti tum in serie sermonis, tum in emphasi articuli. Alterum non est magni momenti. Existimat enim GROTIUS, ipsum de seipso non commode praedicari: filii DEI expectant reuelationem filiorum. Sed cogitandum erat, ἀπαλάψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ idem esse quod ἀπαλάψιν δόξης υἱῶν τοῦ Θεοῦ, sicut praecesserat *com. 18. πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀπακαλοφθῆναι εἰς ἡμᾶς*. Deinde non ignorabat GROTIUS, tametsi ἡ κτίσις exponatur de regenis, & hi dicantur expectare reuelationem filiorum DEI, tamen, quoniam

quoniam alia *ἐλευθερία* sit in voce *κτίσις*, alia in eius *praedicatio* *ὡς τῷ θεῷ*, non simpliciter idem de se ipso praedicari. Illic enim considerantur tanquam gementes sub vanitate, & in *ecclesia militante* constituti; hic tanquam liberati, & patrimonio suo potiti. Quid? quod non infrequens est scriptoribus novi testamenti, loco *pronomini relatiui* reperere praecedens nomen, ut adeo, loco huius sententiae: ciues *CHRISTI* expectant reuelationem suam, commode dici queat: ciues *CHRISTI* expectant reuelationem filiorum *DEI*. Sed paullo inferius de ipsa voce *ὡς* & *ὡς θεοῦ*, sic disputabimus, ut omnis haec obscuritas euanescat.

* *ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων τῷ θεῷ*, com. 21. Potest haec phrasin ita conuerti: *libertas, quae est in gloria filiorum Dei*, id est, *quae gaudent filii Dei iam suam gloriam adepti*; nam in *regno gratiae* nondum illam consecuti sunt. Potest & illo modo, quo *LUTHERVS* habet: *libertas gloriosa filiorum Dei*, ut distinguatur *libertatis* alterius regni excellentissima, ab illius *libertatis* modulo, quae in *regno gratiae* iam donari sunt *CHRISTI* ciues. Prius ideo praefarendum censuerim, quod manifesta sit oppositorum ratio, *ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, εἰς ἐλευθερίαν τῆς δόξης, a seruitio corruptionis; ad libertatem gloriae*. Ad rem ipsam prope nihil, ad phrasin *PAVLLI* multum interest haec obseruare. Porro *ἐλευθεροθήσεται*, *εἰς ἐλευθερίαν* est *vindicabitur in libertatem*. Eadem est, ut opinor ratio dicendi *Gal. V. 1.* *ἐλευθερία, ἣ ἡλευθερώσατέ ὑμᾶς χριστός*, *LIBERTAS, IN QVAM VINDICAVIT VOS CHRISTVS*, ut ἢ positum sit pro *εἰς ἡν*, sicut nostro loco. Ad rem ipsam quod attinet, ἡ *ἐλευθερία* hoc loco est immunitas ab omnibus animi, & corporis imperfectionibus & incommodis, quae vanitati obnoxios antea premebant. Quo sensu plerumque vox illa in *libris* novi testamenti legitur, ut adeo non opus sit ad illam *philosophicam* huius vocabuli notionem anxie recurrere. Quamuis in *aprico* sit, istam quoque libertatem, qua *intellectus* suam ipse *voluntatem* ad agendum id, quod est *optimum*, determinat, demum in altera vita nobis restare, ubi deo similiore euademus; cuius libertas talis nimirum est, qualem modo diximus. Quod sequitur *δόξα*, nihil aliud est, nisi status alterius vitae perfectissimus, & ma-

& magnificentiae plenissimus, ubi exquisita nobis scientia, sapientia, summus amor DEI, & qui nascetur ex illo, virtutum & gaudiorum cumulus, ita obtingent, ut mirabilis exinde dignitas existat. Quemadmodum enim DEVS ideo in sacris litteris, DEVS gloriae vocatur, quoniam ista omnia, quae diximus, infinitis modis in illo sunt, & talia etiam a nobis agnoscuntur; ita filiorum DEI quaedam erit gloria, ad istam gloriae diuinæ imaginem, salua illius immensitate, conformata. De magnificentia corporis nostri nihil attinet dicere, cum satis exploratum sit, eius quoque splendorem, immortalitatem, & reliquas dotes in eiusdem gloriae societatem esse venturas. Denique *tertia res* DEVS sunt beati in caelo, qui iam hereditatem suam adierunt. De quo *cap. IV.* plura.

*** *seruatiorem uiderentur, anhelamus statum vel ius filiorum.* Hoc & priuatus quisque in ecclesia, non modo pro tota piorum vniuersitate, sed pro se quoque, secum ipse suspirat, de quo *quarto capite* fultius tractabitur.

CAP. III.

De

Desiderio ecclesiae in caelo, ubi reuelationem
suae gloriae, & plenum ius filiorum
suspirat.

ARGVMENTVM.

- §. I. De distinctione in oratione *ex orationis Paullinae visceribus.*
PAULLI, qua ecclesia in terris ab ecclesia in caelo coniungitur. §. III. Animae caelestes simul, inuicem desiderijs concitantur.
- §. II. Qui primitias spiritus habent, sunt animae piorum in caelo, suis corporibus solutae. Expli- §. IV. Desiderium piarum in caelo mentium est illarum sorti accomodatam, excluditque dolorem ac molestiam.
- partim ex ebraismo, partim

E

§. I.

§. Iam illud est quod suspirat
Ecclēsia suum sponsum ad alterius vitae gaudia, suspi-
 rando deposcens, plurimum percipit exinde solatii,
 quod illi, qui primitias habent spiritus, cum ipsa
 consentiunt.

* *Com. 23. Οὐ μόνον δὲ.* Non solum vero ecclesia non foederis con-
 iunctis suspiriis ac visibus desiderat liberationem communem totius
 generis sacrae, sub hac oeconomia constitutae. Quin illud
 & μόνον non solum, sese referat ad priora verba *οὐ μόνον δὲ* cui *οὐ μόνον*
δὲ, dubitare nemo potest. Sensus est: non solum vero id vobis
 adfirmo, suspirare ecclesiam in terra constitutam, sed animae
 quoque caelestium desiderant cet. Quod si haec in terris ecclesia
 non sola desiderat, necessario consequitur, ad hanc ecclesiam id
 non pertinere, quod mox eidem dicitur sua vota sociare. Atqui
 sic habent PAULI verba: *Non solum ecclesia in his terris de-*
siderat vultus suspiriis, sed hi quoque, qui habent primitias spiri-
tus. Vnde hoc axioma derivatur: *hi quibus tribuntur primitiae spi-*
ritus, non comprehenduntur voce illius, quicquid illa designet.
 Hoc propter viros doctissimos notandum est, quibus illius sunt
 in Christum credentes, & ἀπαρχὴν ἔχοντες τῶν πνεύματος, sunt Apo-
 stoli. Sane, si illius sunt fideles, & πᾶσα ἡ ἑκκλησία, omnes fideles,
 atque inter hos fideles necessario ipsi etiam apostoli (quis enim
 illos excludat, ubi praesertim vox πᾶσα praecesserit) ratio nulla
 adparet, eum pars minima, toti, eidemque iam antea notato,
 iisdemque praedicatis instructo, nunc demum opponatur. GRO-
 TIVS hanc de apostolis interpretationem amplexus est, sed op-
 portune ad suam hypobesin. Ei namque ἡ ἑκκλησία est hoc uniuersum,
 quod hominum generi vltus praestat & commoda. Hactenus
 autem id recte distinguitur ab hominibus, qui primitias spi-
 ritus nacti sunt, hoc modo: non tantum res huius mundi, sed
 inter homines etiam illi quibus caelestium donorum cumulus
 indultus est. Quod vero & illi (praestantissimi ceteroquin viri
 & vltis laudem nostram positi) GROTIUS hic suffragantur, qui
 post B. IERONIMUM illius exponunt fideles, id nobis non profus
 expe-

expeditum ab omni difficultate videtur. Sed ad ἀπερχῶν reuer-
tamur.

§. II.

Illi qui primitias * spiritus habent, sunt piorum in
caelis animae **, suis corporibus solutae.

* ἀπερχῶν ἐχοῦτες, generatim hoc loco sunt illi, quorum est prae-
τῆ ἄλλοις aliqua praerogatiua, qualiscunque demum ista cen-
setur. Comprobamus id suffragio plurimorum fere interpretum.
VATABLVM, CALOVIVM, & paucos fortasse alios excipias.
Nam ille primitias sic exposuit: *particulam aliquam spiritus. Al-*
ludit ad legis oblationem, ubi non totus fructus, sed primitiae tan-
tum offerebantur. Hic vero, Bibl. illustr. ad h. l. Primitiae autem
spiritus hic habere dicuntur renati, ratione decimarum, vel inte-
grae messis, quae expectanda in beata vita. Sed, vii diximus,
multo plures aliter existimant. Nam quibus ἡ ἄλλοις sunt res hu-
ius mundi, illis hic, vel homines vel apostoli, (id est, quiddam
praestantius) in animum venerunt. Quibus ἡ ἄλλοις, sunt gen-
tes nondum conuersae, (quod NORTHONYS KNATCHBVL-
LVS, HAMMONDVS atque LIGHTFOOTVS putabant) his
ἀπερχῶν ἐχοῦτες sunt pii & ad CHRISTVM adgregati, hoc est,
meliores. Qui fideles sub ἄλλοις, iidem sub ἀπερχῶν apostolos, hoc
est digniores, animo concipiunt. Sed idem vox ipsa quoque
suadet. Ἀπερχῶν sunt primitiae. Vox ducta est a ritu veteris
testamenti, ubi primitiae frugum DEO conditori sacrae. Par ra-
tio primogenitorum ex hominibus. Vnde huius ἀπερχῶν du-
plex praerogatiua; prima temporis, quoniam, obseruante ad hunc
locum GROTIUS: ἀπερχῶν est תרומה id quod ante decimas DEO
sacrabatur, vnde dici coepit de omnibus illis, qui alios tempore an-
tecedunt. Altera est praerogatiua dignitatis. Nam primitiae,
quoniam DEO sacrae, ob eandem causam digniores ac praestan-
tiores habebantur, praecipue cum fas esset optima DEO atque
excellentiora dedicare. Quare ἀπερχῶν ex usu scripturum sancto-
rum est idem, quod in vnoquoque genere praestantius. Vnde
PAVLLVS, cum seruatorem nostrum adpellasset πρωτότοκον,
primogenitum, statim addit ἡνὰ γεννητῶν ἐν πατρὶσι πρωτότερον, vt in
omnibus

omnibus obtineat principatum. Sic IACOBVS cap. 1. 18. Dei filios appellat ἀπαρχὴν τῶν τῷ θεῷ κλημάτων, i. e. praecipuos & nobiliores. Et CHRISTVS dicitur ἀπαρχὴν dormientium, princeps inter eos, qui dormiunt ad meliorem vitam. 1. Cor. XV. 20. Sic caelestes quidam CHRISTO proximi, sunt ἀπαρχὴν τῷ θεῷ καὶ τῷ ἀρχηγῷ. Apocal. XIV. 4. Consule ven. D. SALOMONEM DEY-
LINGIVM obs. sacr. parte 1. obs. LVII. p. 278.

* ἡ κτίσις est ecclesia noui testamenti, quae & quando est in hac terra, §. VIII. not. * Omnia eius ecclesiae membra, quae aut fuerunt, aut deinceps erunt in hac terra, prout considerantur militare in hac vita, vocabulo πᾶσα, a PAVLLO comprehenduntur. A tota hac ecclesia distinguuntur illi, qui habent ἀπαρχὴν τῷ πνεύματος, not. * huius §. Qui habent ἀπαρχὴν τῷ πνεύματος sunt potiores ac praestantiores, quam ecclesia militans, not. * huius §. Praestantiores illi, qui habent spiritus primitias, non possunt esse angeli, repugnat enim desiderium status perfectioris, quod inesse dicitur his, qui habent ἀπαρχὴν τῷ πνεύματος, com. 23. Angelis vero non restat status perfectior; Ergo hi, qui habent ἀπαρχὴν τῷ πνεύματος, sunt vniversae beatorum in caelis animae, quae statim perfectiorem post huius mundi finem expectant.

Iam nobis exponenda phrasis est: ἀπαρχὴν τῷ πνεύματος ἔχειν, primitias spiritus habere. Non dicam ebraicum בכור primogenitus, de se formare בכור, quod significat primitias; atque inde fieri, vt sancti scriptores graeci, primogenitum & primitias inter se permurent. PAVLLO filius DEI vocatur ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων, 1. Cor. XV. 20. primitiae dormientium: idem alibi sic vir diuinus expressit, vt eundem adpelleret πρωτότοκον ἐκ νεκρῶν primogenitum e mortuis. Quod & fecit sanctus IOANNES, Apoc. 1. 5. Vnde liquet vocem ἀπαρχὴν & πρωτότοκος idem apud scriptores sacros denotare. Sed nouum iudicium suppeditat epistola ad EBRAEOS, vbi ecclesia primogenitorum in caelis descriptorum, ἐκκλησία πρωτότοκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογαγαμμένων commemoratur. Hi nimirum sunt, qui ἀπαρχὴν τῷ πνεύματος habent, sicut praestantissimis interpretibus, ad hunc locum, vi-

sam est. Quocirca ἀπαρχὴ τῆ πνεύματος esset ἀπαρχὴ πνευματικῆ, primogenitura spiritualis, vel caelestis, qua gaudent illi, prae ecclesia militante, quorum animae in sinum Abrahami translatae sunt, vbi nullis in posterum acrumnis huius vitae tanguntur. Verum aliis hoc explorandum relinquimus, qui sensum huiusmodi oraculorum, non digito palpare, sed acurimari didicerunt. Iam aliquid magis obuium, & minus expeditum ex ipsis orationis visceribus adferemus. PAVLLVS pro triplici oeconomia triplicem spiritus mensuram in hoc capite commemorat. Oeconomia MOVIS habebat πνεῦμα δουλείας, com. 15. cui timor adiunctus erat, qualis est in pueris erga paedagogos, vti PAVLLVS in epistola ad GALATAS exponit. Oeconomia sub CHRISTO habet πνεῦμα υιοθεσίας spiritum filialem, qualis est fiducia in filiis iam adultis, erga parentes, cum quibus familiarius agunt, nullo durioris disciplinae metu, com. 15. ἐλάβετε πνεῦμα υιοθεσίας, ἢ ἃ κηλεύομεν, Ἀββᾶ ὁ πατήρ. Accepistis spiritum filialem, per quem clamamus: Abba pater. Oeconomia caelestis (licet enim ita loqui) habet ἀπαρχὴν τῆ πνεύματος excellentiorem spiritus praerogativam, & aliquid maius, quam est υιοθεσία in hac vita, qua gaudent novi testamenti ciues. Restat tamen & caelitibus huius animabus, quae ἀπαρχὴν τῆ πνεύματος acceperunt, aliquid gloriosius, post supremum huius mundi diem. Namque reuelatio filiorum Dei tunc sequetur, & inchoabitur libertas gloriosa familiae caelestis, com. 19. & 21.

§. III.

Piorum in caelis animae, pariter * vnitis desiderijs exoptant idem, quod ecclesia militans in hac terra.

* Quod vtraque ecclesia, hic militans sub nouo testamento, (quando in his terris versatur) illic triumphantes animae sanctorum omnium in caelo, simul desiderent, & nisi communi ac sociatis quasi viribus ad perfectiorem statum trahantur, ipsa indicant vocabula: συσενάξει ἡ συνωδίσει com. 22. cum quo versiculo irrupta copula nectendum est quod sequitur, ἢ μόνον δὲ, ἀλλὰ ἡ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τῆ πνεύματος ἔχοντες. Non solum vero ἡ κήποις, quae

quae vanitati subiecta est praeter voluntatem suam (i. e. ecclesia
 noui testamenti, quae & quando est in hac terra) communi ge-
 mitu usque fertur ad statum perfectiorem, sed illi ipsi quibus
 primitiae spiritus iam obtigerunt. Nec obstare debet huic sen-
 sui vetus interpungendi ratio. Nam ubique patitur aliam fer-
 monis genius & nexus, ubi tantumdem iuris habet nouus inter-
 pres, quantum antiquus, cui suum arbitrium pro lege fuit.
 Quis autem neget, liquidissime fluere sermonem hoc agrimine:
 Nonimus totam ecclesiam militantem una genere ac parturire;
 neque tamen solam istam, sed illos etiam, qui habent spiritus pri-
 mitias, sociare suum desiderium & usum, ad rerum innovatio-
 nem. Salua verborum distinctione, nec illud lectorem offendet,
 quod participio ἔχοντες addatur αὐτοῖς, cum hoc pronomine, ni-
 hil opus esse videatur. Namque primo, non est hoc inuista-
 tum sanctis scriptoribus; consule PETRUM, 2. ep. III. §. λα-
 θάνει δὲ αὐτὸς τὸ θελοντας. His enim, qui illud optant, igno-
 ritum est. Scilicet θέλει aliquando est statuere vel optare, quod
 vel ex HERODIANO constare potest, lib. V. cap. VI. §. 10.
 λίβυες μὲν ἐν αὐτῇ Ὀβρανίαν καλεῖσι, Φοίνικες δὲ Ἀστροῦρχην ὀνομά-
 ζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες: Libyci quidem Vraniam illam vo-
 cant, Phoenices autem Astroarcham adpellant, lunam esse statuen-
 tes. Optandi notione habes idem verbum apud eundem lib. V.
 cap. VIII. §. 17. ἀποκλειάσασθαι θέλοντες ἀρχιμούντα βασιλέα, cum
 optarent e medio tollere turpissimum regem. Quocirca & hoc loco
 τὸ θελοντες, sunt, qui statuant hoc vel optant. Interest enim
 prauorum hominum, nullum esse censorum diem. Deinde
 ad vim sermonis etiam requirebatur pronomen αὐτοῖς, hoc sensu,
 non solum πάντα κτίσις desiderat, sed illi ipsi, quantum tanto
 iam feliciores, ut qui habeant primitias spiritus. Adde quod
 haec phrasis respondere debuit priori αὐτῇ ἢ κτίσις, rom. 21.
 Nam pariter hic legitur ἔ αὐτοῖς ἔχοντες, illi etiam ipsi, qui ha-
 bent primitias. Denique mouere neminem debet, quod
 σεναζεῖν ἔ αὐτοῖς dicantur beatorum animae, hoc enim proxi-
 me expediemus.

S. IV.

Facile autem adparet, illum gemitum ac nifum animarum, quae in caelo sunt, eo modo concipiendum* esse, qui non sit ab earum vel natura**, vel sorte, alienus.

* Forte audacius adfirmare videbitur, quod beatorum animae *αγά-
ζουσι καὶ ὠδίνουσιν*. Ecquis enim, (dicit quispiam) adeo hebes erit ad lumen gloriae, quo perfunduntur functae corporibus animae, ut in illis quidquam sensus molesti resistere putet, vnde gemitum edere, atque sentire dolores parturientium assidue cogantur? Nonne qui PAVLVM ita docere fingit, non modo beatorum placidissimae quieti obstreperit, verum etiam doctorem diuinum, erroris miseri patronum efficit? quod sine religionis calumnia ne cogitari quidem potest? Satis pie ita quidem, sed non satis prudenter. Namque artis criticae cultores non fugit, *idem praedicatum* saepe duobus tribui *subiectis*; ita tamen, ut pro vtiusque *subiecti natura* interpretandum sit, alterique conveniat pleniori notione, alteri seiunctis quibusdam, vtiue non praecipuis, rei momentis. Idque potissimum obseruandum est in verbis, quae *motus animi* significant. Vtemur exemplo maxime vulgari. Quoties in sacris litteris & DEVM & homines amare iubemur? Amor, quo complectimur homines, hoc maxime adiunctum habet, ut eius, qui diligitur, felicitatem adiuuemus, & ex eiusdem felicitatis incremento capiamus voluptatem. Ad amorem DEI nemo illud recte accommodabit, quoniam DEI felicitas neque incrementa capit, neque potest a mortali quoquam adiuuari: & tamen amare DEVM dicimur, & amare homines. Iam de vocabulis *αγά-
ζουσι* & *ὠδίνουσιν* videbimus. Vtrumque a corporibus petitum est: mens neque gemit neque parturit. Mens itaque genere ac parturire dicitur, cum *voluntas* nifum habet vehementissimum elutandi ad optabiliorem statum, postquam *intellectus* praesentis conditionis imperfectionem, & melioris conditionis excellentiam viua cognitione perspexit. Vnde & *σεραυπόδ* gemitus spiritui sancto tribuuntur, hoc ipsa cap. com. 26. Non quod sentiat ille molestiam acerbissimam, & parturientium dolores, sed quod *nifum*
felic-

felicis acriorem, ipse suscitet in piis mentibus, eumque deferat ad DEVM patrem, cuius misericordiam & bonitatem, hoc modo precantibus, & sub onere calamitatum fatiscens, conciliat. Huiusmodi morus animorum & alibi plures ipsi DEO tribuuntur, qui *θεοκένως* explicandi sunt. Par est ratio, cum caelites gemere ac parturire dicuntur. Sane IOANNES Apoc. VI. 9. animabus beatis clamorem pro vindicta iniuriarum tribuit, quae deinde conquiescere iubentur, vsque ad tempus a DEO destinatum. Ibi nemo erit tam inconsideratus, vt sensum alicuius mali beatis tribuat, a quo certe sunt remotissimi, cum in ABRAHAM I sinu mollissime conquiescunt, ac immensa dulcedine solatorum post aspera fata permulcentur. Attendamus etiam, in ipsis vocabulis *σεβάσειν* & *ὀδύειν*, non esse necessariam doloris notionem. Nam idem designant ex instituto PAVLLI, quod superius vocabulum *ἀποκαρδιονία* & *ἀπεδέχεσθαι*, quae pariter dolorem per se nullum inuoluunt. Vidit hoc doctissimus LVDOVICVS CAPPELLVS, quem supra aliquoties laudauimus. Hic enim ita ad hunc locum: *Gemitus ille non est doloris ac moestitiae, nec etiam impatientiae, multo minus murmuris, atque indignationis aduersus DEVM: ista enim non quadrant felicissimo illi statui, quo fruuntur piorum animae, hoc mortali corpore exutae, ad resurrectionem vsque, sed est gemitus desiderii, & vehementissimi adfectus ex dilata spe: addit enim apostolus: τῆ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν.* Atque lubens animaduerti, hanc explicationem probari viro in his rebus excellentissimo, IO. CHRISTOPH. VVOLFIO, qui & ex PASSOVII annotatis id vberius illustrat. Quocirca *σεβάσειν* illud, & *ὀδύειν* caelestium animarum, est nifus aliquis acerrimus, supremo patri atque iudici declaratus, a statu nondum satis perfecto, ad perfectiorem, tendens. Nimirum ille status caelestium, in quo inde a morte corporis ad supremum vsque diem constituti sunt, beatus equidem & voluptatis plenissimus censei debet: habent enim *ἀπαρχὴν τῆ μένους*, primitias spiritus: interea nemo sanus inficiabitur, illum statum, cui quaedam addi potest ac debet perfectio, nondum esse satis perfectum. Sed animarum caelestium conditioni addetur aliquid perfectionis, tum, cum suis

fuis corporibus, ad instar corporis CHRISTI splendentibus, denus
 iungentur. Qua in re, vt reliqua taceamus, non minima pars gau-
 dii sempiterni ponenda est. Quanti hoc beneficium fecerit PAUL-
 LVS, testis est egregia eius oratio 1. Cor. XV. paene per totum
 caput. Et Phil. III. 21. simile desiderium piorum describit, &
 ἀποκαθάρσει, huc maxime spectantem, vt CHRISTVS ad supre-
 mum aliquando iudicium aduenturus, hoc vile corpus induat
 gloria, sui corporis magnificentiae simillima. Atque hoc deside-
 rium vir sanctus illis tribuit, quorum exitus non est aeternum
 supplicium, sed quorum ἀδελφεία, tum in hac vita, tum post
 exuias huius corporis depositas, est in caelo. Quod si perfe-
 ctior erit status vnitae cum suo corpore tandem animae, & si ex
 contemplatione maioris perfectionis, maior etiam existit volu-
 ptas: quis dubitet, beatorum animas hanc sibi promissam volu-
 ptatem anhelare, magnoque nisu ad illam ferri; sicut ecclesia
 militans eadem spe ad simile desiderium accenditur, hac tantum
 addita molestia, quod variis in hac vita casibus agitur, qui ta-
 men & ipsi stimulant ardorem, & desiderii vim intendunt. Cae-
 lestes autem animas sui status sibi conscias esse, quis dubitet: sci-
 re etiam restitutionem sui corporis, & manifestationem filiorum
 DEI, quis abnuat? Sane dum in corpore degerent, haec erat
 praecipua pars & firmamentum quoddam pietatis ipsorum, quod
 in illo iudicii supremi die, regem suum IESVM CHRISTVM, in
 suo quisque corpore visurus & cum eo regnaturus esset in aeter-
 num. Iam si animabus excidisset ad post mortem corporis, in-
 ferior sane foret earum in caelis conditio, quam fuerat in hac
 mortali vita. Quare, si sciunt, statum suum ante CHRISTI redi-
 tum nondum esse ex omni parte perfectum; & si iacentur in illam
 gloriosam libertatem, quam suprema dies omnibus allatura sit;
 quaeso a te, an illo modo fieri possit, vt illam perfectiorem fore-
 tem non anhelent, non omni nisu parturiant, non votis omnibus
 optent, urgeant atque praestolentur? Immo coniunctis desideriis
 huc feruntur, οὐρανὸν καὶ γῆν ἀντιδύσει, sicut idem suo modo fa-
 cit ecclesia militans in hac terra. Adde hoc etiam ad maiorem
 excellentiam futuri status, quod CHRISTI magnificentia tunc
 F illu-

illustrior conspicienda sit. Ante fata huius mundi, nondum cunctis de suis hostibus triumphat; nondum suos omnes ad se collegit, nondum patri tradidit regnum, *vt DEVS sit omnia in omnibus*; nondum omnia gloriose potentiae ac sapientiae specimina absoluit, quibus extrema potissimum regni gratiae tempora plurimum illustrabuntur. Haec omnia quando facta fuerint, maior & illustrior erit beatorum cognitio, qua CHRISTVM regem ac sponsum suum lustrabunt: maior inde admiratio maiestatis eius, impensior illius amor, suavior ex amore voluptas. Cur statum hunc non optent vehementer, & exoptant? Audebimus id etiam adiungere: caelestes animae norunt superesse in hac terra fratres suos, vanitati & seruitio corruptionis obnoxios: vident enim, regnum gloriae nondum esse hoc modo inchoatum, quo post expectatum iudicii diem, inchoandum sit. Sciunt sua sibi corpora deberi, in quibus militantis ecclesiae ciues adhuc versantur. Observant colligi quotidie plures ad se beatorum animas, terrestri statione decedentes. Quis non intelligit, ipsam considerationem huius rei, multum conferre ad *vehementiam* illius desiderii, quo & sibi & sociis suis adhuc in corpore peregrinantibus, & hostium furori expositis, statum perfectiorem assidue precentur? Tametsi qui cultum iis religiosum hanc propter causam adferat, is in DEI maiestatem foret iniuriosus.

CAP. IV.

De

Desiderio singulorum priuato,

quo

tum reuelationem sui gloriosam, tum liberationem huius corporis anhelant.

ARGVMENTVM.

§. I. *Esse tale desiderium in singulis, §. II. Distinctio verborum Pauli, quale hic a Paulo describitur. qualis esse debeat?*

§. III.

- §. III. Sensus verborum PAVLLI, ad diversas oeconomias ecclesiae, ex indole linguae & serie sermonis ostenditur.
- §. IV. Quare id quod desideratur, desideria dictum sit? ex allusione
- §. V. Quenam sit liberatio huius corporis, quam pius quisque desiderat?

§. I.

Piorum vota ac desideria vel esse communia, pro toto CHRISTI regno, vel priuata, singulorum pro singulis, notissima res est. Ad vtraque sanctissimis rationibus obligamur. Quamobrem, cum PAVLLVS commune desiderium, primo * militantis ecclesiae, deinde piarum ** in caelamentium, exposuisset; nunc, quo pacto singuli *** pro semetipsis voueant ac suspirent, non alienum erat explicare.

* De quo cap. II. actum est.

** Ut expositum cap. III.

*** Ecclesia, quando liberationem anhelat, vel salutem omnium, qui regno gloriae potiuntur, in votis habet; vel pro sua quisque, laborat. Id quod, nemo ex schola CHRISTI, inficiabitur. Potuit igitur PAVLLVS vtrumque officium commemorare, quoniam vtrumque in doctrina CHRISTI & ecclesiae natura fundatum est. Si e doctrina CHRISTI vel solam orationem dominicam consideres; in illa liberati volumus communiter omnes ab omni malo, qui subiecti sumus vanitati. Iam desiderium a PAVLLO hic expositum, ad ipsas preces referre possis, quippe desideria piorum & servorum a DEO audiuntur, teste psalmo. Quamobrem oportet pro tota ecclesia servare & adire. Deinde id ipsum in ecclesiae natura fundatum est. Ecclesia militans est vniuersitas piorum in hac terra, quae per fidem CHRISTO-capiti; per amorem mutuam in suis membris cohaeret. Mutuus ille membrorum nexus efficit, ut salus totius corporis a singulis adiuetur. Salus vltima ecclesiae est: non vnus dumtaxat, vel alterius, sed omnium qui CHRISTI sunt, liberatio a vanitate, & transitus ad libertatem

bertatem gloriosam filiorum DEI. Nam huc spectat eorum redemptio, vt vita quondam aeterna cuncti *credentes* tanquam fratres coniunctissimi, simul fruantur. *Io. III. 6.* & per aspera multa enitantur in regnum gl'oriae *Act. XIV. 22.* Atque ipsa coniunctio tot electorum in caelo, spectabit ad magnificentiam regis nostri, & pars erit eorum, e quibus voluptatem fumus capturi. Salutem istam vltimam expectare cuncti iubentur. *Tit. II. 13. 2. Pet. III. 12.* DEVS que, vt illam acceleret, ipsorum precibus atque suspiriis permouetur; *Luc. XIX. 7.* Ergo omnes simul, & pro toto corpore, necessario *suspirant*, gemunt, ac enixe ad illam liberationem contendunt. Quare *tota ecclesia* sponsa CHRISTI teste IO ANNE, toties ingeminar: *ἐλθέ, veni Christe! Apoc. XXII. 17.*

Iam si ad officia ecclesiae pertinet, vt gemat ac suspiret totius gentis sanctae libertatem: certe singuli pro semeripsis idem facere debent. Cum enim sancta desideria sint genus quoddam precandi: singulos vero pro seipsis precari deceat, vt digna sint *ecclesiae* membra, & communibus ecclesiae bonis perfruantur: perspicuum est, ad hanc rem omnes & singulos obligari, conf. quae supra monuimus *cap. II. §. 4.*

Haec ideo disputauimus, vt constet potuisse PAVLLVM de duplici desiderio verba facere: quod nec facile quisquam inficiatur. Quod autem eius verba talia sint, quae lectori duplex illud desiderium vere exponant, id prorsus ostendemus.

§. II.

Verba PAVLLI: * *Ἐγὼ ἡμεῖς ἑαυτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.* *Non solum autem, sed & ipsi, qui primitias spiritus habent, nos etiam ipsi, nobiscum suspiramus.* Nemo non videt, planiorem fore sensum, qui reperituris vocabulis haud indigeat, & tamen ad institutum PAVLLI congruat.

* Verus est & constans omnium sententia, repeti quaedam vocabula a scriptore sacro, idque fortassis propter *δενότητα* sermonis. Itaque sic legunt: *ἡ μόνον δὲ, ἀλλὰ ἡ αὐτοὶ, τὴν ἀπαρχὴν τῆς πνεύματος: Ἐγὼ ἡμεῖς, ἡ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.* *Non solum autem, sed & ipsi, qui primitias spiritus habent, nos etiam ipsi, nobiscum suspiramus.* Nemo non videt, planiorem fore sensum, qui reperituris vocabulis haud indigeat, & tamen ad institutum PAVLLI congruat.

congruat. Deinde videamus illam repetitionem, quo se duce vel lare tueatur? *Primo* tolerabilior foret repetitio vocabuli *ἡμεῖς*, quam *αὐτοί*. Quod animadvertens CURRELLAEVS, ea qua solet audacia, ingessit vocem *ἡμεῖς*, sine teste & codice. Nihil dubii superesset, vbi sic scriptum foret: *αἱ δὲ καὶ ἡμεῖς, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοί*: Sed etiam nos, qui primitias spiritus habemus, nos inquam & ipsi gemimus. Verum tu vide, an vocabulum *αὐτοί* primo positum, & sequens deinde *ἡμεῖς*, velut ad explicationem illius, tam commode propter *ἐπισημίαν* sermonis adferatur? Quis non sedulus lector *tertiam* potius personam in voce *αὐτοί* praecipit, cui iam adfectus erat e proximo: *αὐτὴ γὰρ ἡ κτίσις* illa ipsa enim ecclesia. Praeterea non memini, aliud huius exempli specimen in sacris paginis inueniri. Solent post interposita quaedam, repeti quae praecesserant, ne sententiae integritas, ab illis, quae intercesserant, diuellatur, & vt lectoris memoriae talis repetitio seruiat. Hic vero nihil prorsus intertricitur, praeter vnicam phrasin, quae vice *nominis* est: *ἔχοντες τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος*.

** Distinctio librorum sacri codicis in *capita*, & *versiculos* non est originis diuinae, sed humanae, eiusdemque dubiae vtique in N. T. Qui primum hunc modum distinguendi reperit, is suo iudicio sensum orationis sacrae aestimabat. Illud iudicium non erat *θεῖον*, sed eiusmodi, quod fallere posset ac falli. Quamobrem viri cordati, longe plurimis in locis, hos limites secute & salubriter neglexerunt. Constat clar. HERTZOGIVM singularem *diatribam* scripsisse, de *interpunctionum* positu in *epistola* ad Romanos. Arque is multa percommode monuit; tamen in *versibus* dirimendis, quam mutandis *interpunctionibus*, maior fere possit esse libertas. Quare si primum stilo PAVLLI non male consulamus, deinde, si sensum non minus commodum, quam est alter ille, dabimus, nihil equidem hic peccatum iri, confidemus.

§. III.

Sensus illorum verborum erit iste: Praeterea * nos ipsi priua-

F 3

privata ** quisque pro se opera, nobiscum suspiramus filiorum statum; expectantes interea huius nostri corporis liberationem.

* Vocabulum *ἡμεῖς* hic vertitur praeterea. Quod saepiuscule fieri, non est, quod moneamus. Pleni sunt omnes libelli regulis hac de re atque exemplis. Hoc loco ita fieri oportere, docent antecedentia. Primo tota ecclesia militans pro se suspirat, *com. 22.* deinde caelestes animae simul omnes idem faciunt, pro publica CHRISTI ciuitate, *com. 23.* Denique & priuatus quisque pro se desiderat, καὶ ἡμεῖς αὐτοί.

** Vocabulum αὐτοῖς hic eam vim habere, vt illud noter, quod quisque suo studio, pro se priuatim agit, ex serie sermonis liquet. Nam πᾶσαι κτήσεις, omnes complectitur, & totam vniuersitatem, pro publica salute gementem exhibet. Ab his distinguimur, ἡμεῖς ἐν ἑαυτοῖς σεβάζομεν. Quod primum est. Deinde opponuntur οὐσεβάζομεν, & σεβάζομεν ἐν ἑαυτοῖς, coniuncto studio simul desiderantes, & desiderantes apud semetipsos. Non abnuo, ex his vocabulis in se spectatis, id non confici necessario, quod diximus. Nam potest tota ecclesia coniunctis votis paucorum salutem suspirare; potest & quisque pro se totius ecclesiae salutem. Id tantum ex vocabulis recte colligi videtur: distingui a PAVLLO gemitum communem, qui simul est in omnibus, & gemitum priuatum singulorum. Illic πᾶσαι κτήσεις οὐσεβάζουσι καὶ σεβάζουσι, hic ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς σεβάζομεν. Sed quoniam res desiderata, quae dicitur ἀποκάλυψις νύκτων τοῦ θεοῦ, & corundem ἐλευθερία, ad totam vniuersitatem piorum pertinet: vota quoque conspirantia totius ecclesiae sunt talia, quae bonum totius caeteris desiderent. Quodsi hoc certum est, (ipsa enim res loquitur) non potest de sequentibus verbis aliter statui, quam iudicauimus. Nam si primo gemitus totius societatis, pro bono communi, descriptus est; ac deinde sequitur: non tantum illi hoc faciunt, sed nos etiam nobiscum anhelamus id, quod omnes sperant ac spectant: sane nihil reliquum est, quam vt dicamus, pro se priuatim optare, qui praeterea cum reliquis omnibus expetierint commune bonum. Sed clarius id adparebit, si vocem αὐτοῖς diligentius expendemus. Αὐτοῖς interdum significatur eum

eum, qui *solus* pro se aliquid facit, sine cuiusquam societate.
Sic legi apud HOMERVM, iam obseruauit HENRICVS STEPHANVS, *thesauro graecae linguae,*

αὐτὸς πρὸ ἑᾶν προμάχου ἐμύχθη.

Solus cumesset, propugnatoribus se immiscuit.

Si autē potest *solum* significare; tunc sane id maxime significabit, cum opponitur *omnibus*, qui *sociata* quid opera faciunt. At qui hoc loco sic dictum erat in antecedentibus: *omnes sociatis suspiriis ingemiscunt*; nunc sequitur *ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς, σὺν ἑαυτοῖς*, non *σὺν ἑαυτοῖς*, vii de cunctis ante dicebatur. Iam ad institutum nostrum satis est, ostendisse, quam distinguendi rationem vir sanctus adhibuerit. Intelligit enim lector, distinguere vota communia a desiderijs singulorum priuatis. Si maxime desideria singulorum id ipsum expetant, quod publica cunctorum; ramen res salua esset, neque de reliquo pugnandum censuerimus. Interea, cum non credibile sit, PAVLLVM, ex hac tantum ratione, diuersa votorum genera voluisse proponere, quoniam sociata quaedam vota cum ceteris, quaedam priuatum & a singulis fusa, notentur: sane, est vero simillimum, *rem quoque desideratam* alio atque alio respectu considerari, semel tanquam *publicum omnium*, deinde tanquam *proprium singulorum bonum*. Oprat quisque suam *videtiam*, sui quisque corporis, *τὸ σῶμα*, redemptionem. Sic PAVLLVS alibi pro se cupit solui hoc corpore, atque degere apud CHRISTVM.

§. IV.

Quod ab vnoquoque desideratur, est * *videtia*, hoc est status gloriose libertatis in altero CHRISTI regno. Adpellatio petita ** est a praestantia *oeconomiae* noui testamenti, prae veteri statu sub MOSE. Sicut enim multis modis antecellit nouum testamentum veteri, atque ideo praecipue, quod illic seruale iugum, hic filiorum libertas conspiceretur: ita regnum gloriae, prae felicitate noui testamenti, quae *veterem oeconomiam* antecedebat, infinitis modis eminet.

act. Nempe quiddam feruile admixtum erat in hac vita: quod in altera, cum adultior fuerit aetas filiorum DEI, cum liberaliori sorte commutabitur.

* *vis* *Dei* *verti* *solet* *adoptio*, non male. Nam quos DEVS in hac vita filios adoptauit regni gratiae, eos in altera vita ad nouam gloriam quasi denuo adoptabit; vnde in nostra quoque *pericopa*, *manifestatio filiorum DEI* commemoratur. Ceterum nec male vox *vis* *Dei* *vertetur status filiorum*, quoniam *Dei* *status seruatus*, eidem opponitur. Quid autem status iste filiorum excellentiae complectatur, passim sacrae litterae docent. Generatim in eo ponitur haec dignitas, quod multo *liberalius* a DEO tractentur beati, quam tractari poterant in hac vita: sicut in familiaribus humanis, id vsu venit liberis adultioribus, vt nutius habeantur quam pueri, qui nondum sua ratione reguntur. Id sacrae litterae *libertatem*, & *spiritum primogeniturae* adpellant. Nimirum in hac vita sancti homines, ad manendum in officio suo, variis, durioris disciplinae remediis, adigebantur, propter reliquias manantis ab ADAMO noxae. Ibi *minus* praeceptis adiicit benignissimus ille pater: ibi corpus piorum interdum affligendum fuit: ibi per metus & angores mentis aliquando fuit efficiendum, vt immanitas peccati clarius adpareret, & dulcedo fauoris diuini suauius perciperetur. Mens nondum satis serena fuit, ad ea cognoscenda, quae causas pietati sufficerent. Sed, velut paruulorum ratio, sic piorum vis mentis, hebescebat ad videnda pleraque, quibus amor erga deum accenditur, & reliqua inde officia propagantur. Quamobrem amor ille interdum languidior fuit. Et quo minus perfecta erant omnia, quae vel ad agnoscendum vel diligendum numen pertinebant: hoc inferior erat voluptas, quae, non nisi contemplantibus sua bona, subnasci solet. DEVS interdum *vertebatur in crudellem*, & facie paterna tantisper abscondita, verberibus nequaquam paspercerat. Atque ille status, filiorum equidem dici poterat, sed impuberum: quos inter, atque seruos, non multum interest, docente PAVLLO, *Gal. II. 1.* Sedenim in altera vita DEVS liberalius familiam suam tractabit. Nam primo gloriosa eorum *bona*,

malbona; inter quae DEVS ipse est, clarius ac propius conspicienda
 reddabit. Dum in hac vita puerorum instar erant, fieri non poterat,
 vt per imbecillitatem animi, vel agnoscerent satis, vel aestima-
 rent hereditatem suam, sicut haec imbecillitas conspicitur in
 impuberis. Adde, quod hic per transemanam spectabant in verbo,
 quod tunc sine verbo clarissime perspiciunt. Puerulis multa sub
 figuris crassioribus ostenduntur, quae, adulti deinde, mentis acie
 perlustrant. Idem de beatis iudicium, qui *in uideria* adepti
 sunt; Vnde Ioannes, 1. ep. III. 1. quando *uideria* alterius vitae
 praedicat, statim addit: *uisuri sumus eum, sicut est.* Porro
filiorum ille status id dignitatis habebit; vt vehementior possit
 amor esse, quo DEVS nos, & nos vicissim illum complectemur.
 Quo plus in DEO perfectionis cernemus, eo maiori cum
 delectatione in illum feremur, eo plus sanctitatis in nobis relu-
 cebit, eo similiores efficiemur DEO. Sed quo quisque DEO si-
 milior, eo plus amoris a DEO sperare potest. lo. XII. 23.

Haec tam insignis amicitia cum DEO, & quasi familiaritas,
 quae tamen erit eiusmodi, vt cum ueneratione & adoratione
 coniuncta sit, *uideria* dicitur; primo propter se, quoniam
 arctissimam cum DEO cognationem, reuerentiae tamen & ado-
 rationis plenissimam, denotat, ac iis qui regeniti fuerant in hac
 vita, conuenit: deinde propter immensum fructum voluptatis,
 honoris, atque dignitatis, quae inde nascitur; quo sensu etiam in
 sacris litteris dicitur filiorum *patrimonium*, vel hereditas in
 caelo reposita: denique propter comparisonem status gloriae
 cum statu gratiae, quoniam filii DEI in hac vita impuberes ad-
 huc, & prope serui erant, si respicias ad excellentiorem statum,
 quo in regno glorioso poterant.

Adpellandi rationem hoc loco non magis in ipsa filiorum *indole*,
 quam in aliquo filiorum *perfectiore statu*, quaerendam esse, fa-
 cile pater. Nam quod ad *indolem filiorum* attinet, hanc pii-
 iam obiquerunt in hac vita, vnde saepissime filii a domesticis
 supremi patris adpellantur. Sed *filii* tunc *nondum adulti* fue-
 runt, quam praerogatiuam consequuntur post hanc vitam.
 Porro status *filiorum perfectior* fundatur in *successione melioris*

G

aecono-

oeconomiae, in qua liberalius a DEO habentur, qui eum colunt. Per varias eiusmodi oeconomias transit ecclesia, donec in illam perfectissimam in caelis enitatur, ubi est ἀπαρχὴ τῆ πνεύματος, & gloriosa filiorum DEI libertas. Propter hunc transitum ecclesiae ab oeconomia minus felici, ad feliciorē, mos aliquis scriptoribus sacris eorumque magistro placuit, ut, quod de inferiori oeconomia dicebatur, idem de meliori sed κατ' ἐξοχὴν, secundum excellentiam quandam, adfirmetur; & amplius, quod de meliori, comparatione cum antecendente duriori, praedicabatur, id de vltima, hoc est optima, κατ' ἐξοχὴν praedicetur.

Exemplo sit vox *υιοθεσία, filiaris*. Nertum est, hanc praedicari de oeconomia veteri, qua DEVS singularem sibi populum sacrum esse voluit. Certe PAVLLVS Rom. IX. 4. ebraeis tribuit *υιοθεσίαν*. Sed idem vocabulum κατ' ἐξοχὴν deinde tribuitur oeconomiae noui testamenti, eo sensu, quo non poterat de veteri praedicari. Nam in epistola ad GALATAS serui adpellantur iudaei, & filii impuberes; nos autem sub nouo testamento, liberi dicimur & filii adulti, nostrique iuris. Sic *υιοθεσία* est *ciuium noui testamenti*; id est, haec vox de meliori oeconomia κατ' ἐξοχὴν praedicatur, vid. Gal. IV. 1. ff. III. 24. 25. 26. Tametsi vero in statu noui testamenti sit *υιοθεσία*, tamen si respicias ad oeconomiam felicissimam alterius regni: haec ipsa *υιοθεσία* noui testamenti, seruitute vndique circumuoluta est, & vix hoc nomine digna, si *υιοθεσίαν* gloriae cum ea compares. Tanti est haec noui testamenti *υιοθεσία* (sit licet per se praestantissima) ad *υιοθεσίαν* gloriae, quanti fuit oeconomia MOSIS ad oeconomiam CHRISTI. Eodem modo ecclesia noui testamenti saepissime vocatur βασιλεία τῶν ἁγῶν regnum caelorum. Sed quis nescit, hoc nomine κατ' ἐξοχὴν adpellari *statum gloriae*; id est meliorem oeconomiam in caelo?

Quod autem in ipsa mente PAVLLI talis ad oeconomias allusio fuerit, nec eidem a nobis adfingatur, id tam esse probabile docebimus, ut a lectore non admodum pertinaci vel stupido concedi debeat. Primo adhuc obuersabatur animo diuini scriptoris, comparatio oeconomiae MOSIS & CHRISTI, quam proxime

xime ante hunc locum instituerat, *com. 15. 16.* vbi distinguit *spiritum seruilem a filiali*, id est conditionem *oeconomiae veteris & nouae*. Deinde mentionem hic facit ingentis desiderii, quo feramur ad libertatem. Quem fugit autem vehementia desiderii, quo pius quisque sub *oeconomia MOSIS* trahebatur ad *MESSIAE* aduentum, melioremque rerum statum? Praeterea commemoratur hic *libertas*, opposita *seruituti*. Quis ignorat autem, *oeconomiam legis* vocari ab eodem *PAVILLO* *seruitutem*, *euangelii vero libertatem*? *Gal. V. 1.* nihil dicam de *ἀπαρχῇ primitiis*, quae vox manifesto reuocatur e veteri testamento, & alibi primum inducitur in nouum testamentum, cuius ciues *ἀπαρχῇ* vocari possunt, deinde in ipsum caeleste regnum, quod *τὴν ἀπαρχῇ* sanctorum hominum complectitur. Non omit- tenda vero est *liberatio corporis*, quam *PAVLLVS* hoc loco exspectat. Manifesto respexit ad *paedagogiam legalem*, sub qua mancipati erant ebraei, puerorum instar impuberum, quorum corpus etiam sub custode rigido durius habetur, vim & verbera patitur, neque libertate gaudet agendi, quae suadet voluntas. In nouo testamento cessat ea corporis quasi mansipatio, sub priore paedagogo: sed ita tamen cessat, vt plenior libertas expectetur in caelo. Ceterum quod vox *ὑιοθεσία* suspecta videtur *ZEGERO*, propterea quod *AMBROSIVS*, *SEDLIVS*, atque *PRIMASIVS* illam omiserint, & quod duriuscule cohaerere videatur: *τὴν ὑιοθεσίαν, τὴν ἀπολύτρωσιν*, id doctum neminem mouere poterit; quippe nec illorum testium huc quidquam valet auctoritas, & nexus saluus est verborum.

§. V.

Liberatio corporis * est mors beata **, quae miserum & afflictum corpus omni seruitio peccati sensuque doloris exfoluit ***, & spe restituendi cineris ad meliorem formam, sociandaeque felicioris animae, quieti tradit.

* *τὴν ἀπολύτρωσιν τῷ σώματι ἡμῶν*, quidam conuerterunt *liberatio- nem ab hoc corpore nostro*, Ita *ERASMVS ROTERODAMENSIS*, *ZEGERVVS*, & quos praeterea facile reperies. Hoc tamen ad

sensum ipsum non multum incommodi, quiddam tamen ad ne-
 xum verborum adfert. Quare magis nativum est, veterere
 cum B. LUTHERO, *noſtri corporis liberationem*. Ita e veteribus
 CHRYSOSTOMVS, quem probare videtur CALOVIVS ad h. l.
 & HVG. GROTIVS cum aliis quam plurimis. Deinde sunt
 qui *διοδωριαν* & *ἀπολύτρωσιν* referunt ad idem verbum *ἀπελευθερώ-
 μενοι*, & vtrumque nomen per appositionem iungi putant, hoc
 sensu: *exspectamus adoptionem, quae est liberatio corporis nostri*.
 Atque illa liberatio corporis ita ab illis exponitur, vt significet
restitutionem corporis nostri gloriosam in die nouissimo, quando, vt
 ait GROTIVS, *corpora ab omnibus malis libera reuiviscunt*. Ita
 vero *ἀπολύτρωσις* non tam liberationem corporis, quam liberati
 corporis *restitutionem* notabit; nisi dicamus, illam corporis *re-
 stitutionem*, liberationis nomen sortiri, propterea quod liberetur
 tunc materia corporis ab omni labe, quae molī quondam
 mortali adhaeserat. Nam certe tunc a *mortalitate*, & quicquid
 cum ea connexum fuerat, liberabitur. Haec enim explicatio-
 nem improbare nemo poterit. Sed magis PAVLLO congruere
 videtur, si *hoc corpus, τὸ σῶμα*, exponas, de hoc mortali
 corpore, quale nunc est, cum anhelat anima *διοδωριαν*, & cum
 tot malis obnoxium est animae domicilium. Nam in die nouis-
 simo glorificabitur quidem corpus nostrum, & cinis iste cor-
 ruptioni obnoxius induet incorruptam perennitatem: *Phil. III. 21.*
1. Cor. XV. 54. sed id tamen, an stilo PAVLLI sit liberatio cor-
 poris, si mortem ipsam secludas, haud planum est. Interea
 non pugnaverim, si quis pertinacius contendat. Certe cum *διο-
 δωρία* iam ipsa, comprehendat illud omne, quod extrema dies no-
 bis adferet praerogatiuae, melius consuli videtur huic oraculo,
 si liberatio corporis, tanquam transitus ad *διοδωριαν*, & quasi
 praenuncijs, de *morte beata* exponatur. In quo suffragantem
 habemus e veteribus CHRYSOSTOMVM, cuius huc attulit verba
 CALOVIVS. Adde *ven. WOLEIVM* qui scriptores quosdam
 grauissimos in hanc sententiam adpellauit. Vide igitur, quid
 PAVLLVS velit. Primo singulos ait sanctos suspirare *διοδωριαν*,
 plenum illud ius filiorum DEI, & gloriosam libertatem, ex-
 tremo

tremo iudicio statim successuram. Et sane urgebant tunc temporis aduentum CHRISTI, & propiorem esse putabant, quam tunc quidem fuit. Quamobrem PAVLLVS necesse habebat, hac de re suos instruere, & praemonere de signis hanc diem denunciaturis, *1. Theff. II. 1. ff.* Quod & seruator ipse fecit, cum suis hac de re discipulis agens, *Math. XXIV. 3. ff.* Quoniam igitur dies ille *nuptiarum agni*, tantopere a piis omnibus desideratus, non tam cito sperari poterat; ecce propinquus solatium, quod interea exspectatur, donec arbitrio supremi regis plena gloria succedat. Quodnam vero propinquum illud? *liberatio huius corporis*, cum qua & animae liberatio non dubia coniungitur. Quare sensus verborum erit iste: *Praeterea pro se quisque suspirat sortem sibi tanquam filio debitam in caelo: sic tamen, ut inter haec (quoniam longius abest extrema dies, quam sua cuique mors) patienter exspectet huius saltem corporis liberationem, qua efficitur, ut anima subuolet ad felicissimum eorum coetum, qui primitias spiritus adepti sunt.*

** Inter periphrases *mortis beatæ* haud dubie haec quoque ponenda est, quando *piorum corpora* dicuntur *liberari*. Duo hic consideranda sunt. Primum, quomodo hoc *piorum corporibus* proprium sit, & non commune cum *impiorum* caduere, ut *liberari* dicantur beneficio *mortis*? Alterum, quanam illa sint, a quibus per *mortem* pii liberentur?

De primo sic habe: *Liberatio* non indicat cessationes incommodorum, quae noxius aliquis poenae loco sustinuit; sed transitum a misera conditione ad felicem, praesertim eorum, qui indigna perpessi sunt. Et *liberatio clementiam* simul eius denotat, a quo salus *liberati* proficiscitur. Quin & *liberatio* talis hic est, quae vehementer desideretur a *liberando*. Iam consideremus *improbos*. Cessat equidem calamitas *impiorum* quoque *corporum*, per ipsam *mortem*; neque enim tunc nouae *morti* locus est, neque *doloribus*, neque *malis* ceteris, quae plurima interdum pessimi mortalium experiuntur. Sed nusquam id facer codex *Σολύτρωσις* appellat; primo, quoniam desinunt *impiorum corpora* perpeti quidem *minora mala*, sed ad *maiora* tamen destinantur: deinde, quoniam *mors corporum* apud illos est *ingressus in carcerem*,

rem, vnde iudex iratus aliquando repositet illa, ad supplicium sempiternum. Namque in impios lata iam est & pronunciata iudicis sententia, quae corpus eorum & animam aeternis cruciatibus addixit *Io. III. 18.* Iam sicut latro aliquis aut sacrilegus, qui post supplicium ipsi denunciatum, aliquamdiu ad ipsum supplicium diem in squalore carceris detinetur, vbi corpus interea tabescit, membra obrigescunt, vigor & vires deficiunt, non ideo, quod tormenta carnificis interim cessarunt, liberatus eo tempore dicitur: ita nec impiorum corpus, vbi tabescit in sepulchro, & iram supremi iudicis, quam antea senserat, nunc ad breue tempus non experitur. Porro piorum corpora liberantur a malo, *vi meriti CHRISTI*, quod praecipuam omnis mali causam, peccatum puta, in illis extinxit. Mors impiorum poena est; sed nemo dum punitur, eo ipso liberatur, nec poena definitur potest liberatio. Qui poenam debitam sustinuit, is suo supplicio recte functus dicitur, liberatus non recte. Sed ab his quam diuersa est ratio filiorum DEI! Illorum calamitates sunt castigationes paternae, & plerasque propter nomen CHRISTI sustinent: corpora sunt templa sancti spiritus, mors est transitus ad libertatem, ipsi quoque corpori promissam. Et *ἀντρον*, quo a malis quoque corporis redimuntur, est meritum CHRISTI vera fiducia ab illis adprehensum; sepulchra sunt cubacula, ipso CHRISTI corpore dedicata, in quibus vna spes excubat, fore, vt cinis aliquando similis fiat glorificato corpori seruatoris.

Alterum erat, dispicere, quatenam illa sint, a quibus piorum corpora liberentur: supra id vno vocabulo, *μαλακίαις*, dicebatur. Nempe, vt inde incipiam, vitio corporis per saepe fit, vt optimus quisque in hac vita, vel inuitus peccet. Tamen si namque fons peccati sit in anima; tamen propter arctissimum illud animae cum illo commercium, ex ipsa corporis temperie, ex nativo ad res corporeas instinctu, qui ab iis, quae in sensus incurrunt, & *phantasiam* alunt, acriter identidem extimulatur; non possunt non existere varii generis peccata. Quod si sane, quorum corpora spiritus sancti sunt domicilia, nihilominus facili coguntur; nisi fallere semetipsos & gnauiter impudentes esse velint. Iam hoc infirmo & in animam iniuriolo corpore destructo,

Et, cessat illa peccandi necessitas; quod, sicut vulgata theologorum vox habet, extirpari, ex corpore, nisi per mortem, nunquam potest. Quare CHRYSOSTOMVS, vbi secum ipse quaerit, cur non animae sed corporis liberationem indicauerit apostolus? ideo id factum esse respondet, quod partim ad originem peccati respexit, partim ad sedem. Quod haecenus orthodoxum finit esse CALOVIUS, ut exponat de semine, ex quo nascimur, & quo propagatur peccatum. Forte corpus dixit sedem peccati, quoniam in eo residet animus, peccati parens.

Cetera mala, a quibus liberati volunt pii, facile intelliguntur. Sunt morbi, dolores, cruciatus, fames, sitis, nuditas, carceres, & reliqua, quibus tum ipsi pro se, tum fratres eorum, praecipue pietatis causa, & propter DEI gloriam, adfiguntur. PAVLLVS omnia complexus est. 2. Cor. V. 4. *καὶ γὰρ ὄντις ἐν τῷ σκήνῳ, στενάλομεν βαρύνενοι.* Namque dum in hoc tabernaculo degimus, granati suspiramus. Grauari, inquit, onere puta peccatorum, & calamitatum huius vitae.

*** Vterque liberationis terminus indicatur, a quo, & ad quem. Posterior maxime discernit mortem piorum, ab impiorum exitio. Quare PAVLLVS addidit ἐπ' ἐλπίδι, cum e contrario, qui beatam corporum restitutionem sperare non possunt, immani luctu suam suorumque mortem detestantur, iudice PAVLLO. 1. Thess. IV. 13.

CAP. V.

De

Probabilitate huius desiderii e toto sermonis habitu demonstrata.

ARGVMENTVM.

§. I. Sensus a bono interprete non tantum a solo scriptoris erudum, sed quibudam etiam argumentis aliis demonstrandum esse.

§. II. Vocem *ἐλπίδι* recte conuersam esse, docetur primo e scopo Pauli.

§. III. Idem docetur ex praedicariis quae ecclesiae tribuuntur.

§. IV.

- §. IV. E nexu cum antecedentibus idem ostenditur.
- §. V. Ex sententiis aliorum minus probabilibus, quorum prima recensetur.
- §. VI. Altera sententia minus probabilis.
- §. VII. Interpretatio de ecclesia N. T. e scopo Paulli probatur.
- §. VIII. Idem fit de desiderio ecclesiae caelestis.
- §. IX. Idem de primato pii cuiusque desiderio.

§. I.

Cum sensus inuestigati demonstratio non sit negligenda bonis interpretibus, & quaedam ex his quae diximus, tantum ex ipso scriptoris sacri stilo derivata sint: addenda sunt cetera quoque sermonis sancti phaenomena: quo liquidius deinde adpareat, non posse tantum per linguam genium, sed debere* quoque, per nexum & conditionem rerum propositarum, hanc potius, quam aliam sententiam, admitteri.

* Quod statim in limine in nos suscepimus. Cap. I. §. VI. not. **. atque in quibusdam, in ipsa iam tractatione, commodis subinde locis tentauimus. Hic potiora tantum relumenda sunt.

§. II.

Vocabulo *uirtutis*, veram & huic loco propriam significationem esse attributam, primo constat e scopo* scriptoris sacri, quem & in proximo sermonis tractu, & in ipso vocabulo *uirtutis* sibi constituerat:

* I. De statu & officiis iustificatorum, iam inde a cap. V. grauiter actum fuerat a PAVLLO. Neque tamen vniuerse tantum agit de iustificatis omni tempore, sed de his, qui sub nouo testamento, cum ille *leuonia iustitia nostra* iam praesto esset, *meritum & satisfactionem eius* amplexi, sub tanto sospitato tamque glorioso rege, viuerent in *iustitia & sanctitate ipsi probata*. Consule cap. V. 6. ff. VI. 3. ff. VII. 4. VIII. 3.

II. Ad

II. Ad statum illum iustificatorum in nouo testamento pertinebat, ut multis gauderent prae veteri praerogatiuis, quales sunt, ut illustriorem vitae sanctitatem ostenderent, propterea quod spiritus sanctus, qui Christum suscitauit, in illis esset ac vigeret, *com. 9-15.* Porro, ut spiritus ille CHRISTI maiorem fiduciam adferret piis hominibus sub nouo foedere, quam sub veteri; ut adeo illic spiritus desiderias recte dicatur, qui quondam erat spiritus desiderias, *com. 15.* Quamobrem hi, qui spiritum noui testamenti acceperunt, *cap. 1. §. 2. not. 1.* sunt filii Dei, iidemque heredes patrimonii in caelo referuari, *com. 17.*

III. His tamen praerogatiuis ea lege fruuntur, ut cum CHRISTO multa sustineant & perpetiantur, ac maiorem praerogatiuam exspectent, sub nouo gloriae regno, *com. 17-18.*

IV. Nam si nihil illustrius superesset, post hanc noui foederis oeconomiam, frustra foret, quod huius ciues tantopere, idque iubente DEO, suspirarent, *com. 19-26.*

Quare cum PAVLLVS, hoc toto sermonis tractu, agat de ecclesia noui testamenti, (*num. I.*) eiusque & praesentes enumeret proprias, & futuras polliceatur communes praerogatiuas; (*num. II. & III.*) statimque mentionem faciat desiderii, quod in futuras haec praerogatiuas feratur, (*num. IV.*) proximum est, ut cogitet lector, hoc desiderium non nisi illis tribui, quorum de praerogatiuis in hac vita, actum sit, & quos vocabulum *κτίσις* per ipsius linguae rationes denotare possit, de quo *cap. 11. §. 2. not. 2.* plura monuimus. Quin etiam notatu iucundum est, PAVLLVM inde a *com. 15.* variis ecclesiae status commemorare. Primum sub veteri testamento, ubi habebant *πνεῦμα desiderias*: alterum sub nouo, ubi est *πνεῦμα desiderias*, tertium animarum quae sunt in caelo, habentque spiritus primitias: postremum consummatae gloriae, ubi reuelantur filii DEI, & adparet libertas eorundem gloriosa.

** Libelli *hermenentici*, quos inter locupletissimum est B. RAMBACHII compendium, hunc solent scopum *specialissimum* vocitare, quando inuestigatur, cur aliquo loco tale potius, quam aliud eiusdem potestatis vocabulum, adhibeatur. De quo multa videas

videas anxie magis quam critice disquiri, ab iis etiam viris, qui lucent in ciuitate sacra. Hoc loco non temere quaeritur, cur non PAVLLVS, si de ecclesia dicere constituisset, vulgatam potius ecclesiae vocem, vel aliam sibi magis familiarem, adhibuerit, quam talem, quae minus perspicua lectori esset futura? Habiuit iam clar. GOTTHARDVS HEIDEGGERVS, quod hoc nomine moneret *recreat. sacr. part. 11. p. 175. Difficile est, inquit, intelligere, cur apostolus, de fidelibus aut ecclesia militante loqui volens, adhibuerit vocem κρισως.* Ad quae responderi potest non vno modo. Nam primo, haec difficultas facile quidem euanescit, si non tam vocem κρισως solum per se, & ab orationis nexibus auulsam, spectes, quam insignitam iis notis, quae vbique in hoc oraculo adparent: quales sunt *desiderium sponsi, seruitus vanitati praeter votum praestandus, liberatio secutura, libertas gloriosa filiorum Dei*, & reliqua. Deinde primi lectores huius epistolae maximam partem erant iudaei, quorum in gratiam vir sanctus utebatur stilo domestico, id est vatum veteris testamenti, sicut moniturum est *cap. 1.* Denique plus dicebat voce κρισως, quam ἐκκλησιας, aut alia huius generis. Nam haec ipsa vox eis in memoriam vocabat nouam κρισω futurae vitae, cuius haec oeconomia sub CHRISTO (tanquam noua κρισω in hoc mundo) typus erat. Taceo, quod videantur *Christiani* eius temporis, iugo calamitatum pressi, tunc ideo maxime ingemuisse, quoniam indigno videbatur τῆ κωνη κρισω, tot malis obruere suos ciues, vt adeo facile subreperere posset haec tacite querula cogitatio: Hoccine nouum foedus est? haec illa κωνη κρισω, tantorum nobis bonorum, ex promisso DEI procreatrix? Quibus grauiter responderet PAVLLVS, κωνη η κρισω τῆ μεταστροφῆς ζωης, haec ipsa quoque ecclesia subiecta est vanitati, & expectat audissimè liberaliorem sui conditionem.

§. III.

Deinde probatur idem, ex his, quae ecclesiae in eadem sermonis serie tribuantur. Praeter alia enim dicitur * *expectare* suum vindicem & gloriosae libertatis auctorem.

rem. Quae expectatio saepenumero mandatur ecclesiae, in primis illi, quae est sub nouo testamento.

* Inter officia piorum, maxime talium, quibus reseruata est vita ad proxima nouissimi diei tempora, praecipuum est, expectatio sui sponsi & vindicis. Post exortum saluiferi fideris in nouo testamento, tria poscit PAVLLVS: *abdicare, viuere, expectare.* Tit. II. 12. *abdicare* prauas cupiditates, *uiuere* sobrie, iuste, pie: *expectare* speratam Iesu Christi reuelationem. Idem inculcatur Phil. III. 20. & 1. Thess. I. 10. Adde quae supra notauimus.

Et sane *libertas gloriosa filiorum Dei*, eorundemque *reuelatio*, sunt eiusmodi, quae desiderari, nisi ab ecclesia, non possunt. Hoc solum *praedicatum*, si nihil aliud, cogere nos poterat, vt de ecclesia, vel inuiti cogitaremus.

§. IV.

Neque minus id euincitur e nexu praesentium verborum cum iis, quae proxime praecedunt. PAVLLVS haec animo conceperat: magnitudo * gloriae nouo testamento proximae, superat infinitis modis, acerbiter molestiae sub nouo testamento perceptae. Illa gloria est longe certissima. Namque ** ab vniuersa ecclesia, idque DEO iubente, expectatur, neque totum illud, quod CHRISTI ciuius debetur, iam tum, in hoc regno gratiae, (quanquam feliciter eius oeconomiam attigerimus) donari cuique potuit.

* *Com. 18.* proxime praecedente.

** Illud *γὰρ, com. 19.* ducit argumentum a testimonio totius ecclesiae, quae communibus votis libertatem suspirat. Primo intra se quisque sentiebat hoc desiderium, sine quo pius esse, & ad ecclesiam referri, nemo potest: nam ipse spiritus sanctus *σευάζει, gemit* in vnoquoque piorum *Rom. VIII. 26.* Quare Paullus ad omnium conscientiam secure prouocans, *οἰδαμεν, inquit, Nouimus gemere totam ecclesiam, com. 22.* Quia nimirum alter piorum, al-

terum ex suo sensu aestumat, & Spiritus sanctus, quem communem habent, idem in omnibus efficit. Deinde hoc desiderium non tantum adprobatur a DEO, sed passim quoque mandatur sanctis hominibus, vt §. III. not. * docuimus. Quare validissimum est PAVLLI argumentum: Si tota ecclesia suspirat meliorem sortem, sequitur neque perfectam esse beatitatem eius in hoc regno gratiae, & id quod tanquam perfectius speratur, certo citraque dubium euenturum esse. Ratio prioris haec est, quoniam, qui perfectius exspectat, hoc ipso testatur, deterius esse, in quo nunc versetur. Vnde calamitates noui testamenti non tantopere debebant Christianos commouere. Ratio posterioris pariter in promptu est. Ecclesia suspirat iubente & iuuante DEO, ergo bona quae suspirat, non possunt esse vana ac incerta: quod erat demonstrandum.

§. V.

Denique, cur * ceterae vocis *alioes* interpretationes huic nostrae debeant praeferrī, nulla ratio satis probabilis occurrit. Qui totam rerum vniuersitatem ** eo vocabulo complectuntur, habent in ipsa verborum serie, quod reclamet.

* Obscuritatem vocabuli *alioes* viderunt viri doctissimi. Quem supra laudauimus, ven. SALOM. DEYLINGIUS, in calce observationis ad h. l. Ego, inquit, erroris tam late disseminati originem inde repetendam esse suspicor, quod primi eius auctores vocem *alioes* non recte intellexerunt, & opinati sunt, eam absolute, & sine additione positam in scriptura nusquam de hominibus, sed vbiq; de creaturis inanimatis, & rationis expertibus usurpari, quod virumque tamen falsissimum est. Ante illum vero, COTT-HARDVS HEIDEGGERVS, loco, paulo ante indicato, Forte, inquit, vix vllus in sacra scriptura locus est, qui explicationes passus est ad v. o. e diametro & toto caelo contrarias. Alii enim per *alioes* intelligunt animata; alii inanimata; alii angelos, alii homines, & hos alii conuersos; alii animas excorporatas, alii corpora.

NOs

Nos brevitatis gratia, duas hic tantum, easque praecipuorum interpretum sententias, notabimus. Prima est eorum, qui *σλευ* exponunt *res omnes huius uniuersi*, quae vitio primorum hominum, deteriori conditione mulratae, vel, vt PAVLLVS habet, *vanitati subiectae*, post exustionem huius mundi, quadam *παλιγγενεσι* reducturae sint in meliorem formam. Id THOMAS BURNETIVS, vir doctissimus, de *millennio* quodam, in his terris agendo, dictum putabat; qua in re IUNGMANNV M commentar. in *Danielem*, sibi praecentem habuit. Quod cuiusmodi sit, nunc minime disquirimus. Hoc certum est, ex sententia omnibus, quae praeterea natae sunt, palmam isti tribuendam esse; nisi id vnicum obstarer, quod *σλευ* vindicanda sit in libertatem filiorum Dei, a seruitute corruptionis. Aliter enim haec phrasidis exponi non potest, tametsi GROTIUS, sententiae huius patrono, & post illum viris summis, ratio diuersa placuerit. Recte monuit ven. DEYLINGIYS, voculas *από* & *εις*, alteram de termino a quo, alteram de termino ad quem exponi debere, neque temporis notionem in vocabulo *εις* illo modo valere. Vnde liquet, vocem *σλευ* illum significarum, alias sibi satis familiarem, hoc loco dedignari, quoniam neque vult haec rerum vniuersitas, neque potest in libertatem illam vindicari, quae est & manet propria filiis DEI. Cetera, ne quid dissimulem, adeo fauent isti sententiae, vt eam prae reliquis omnibus, nisi id vnicum obstarer, amplectendam nobis esse, putaremus. Nam si res mutae genere dicerentur aut suspirare, *tropum* sane agnoscere oporteret. Neque cum veteribus ad sensum aut spiritum quandam communem, in rebus mutis animaque carentibus, confugiendum esset, quod tamen recentissimè biblorum interpretes, ad com. 21. & 22. facere denuo videntur. Inspice pag. 266 & 267. voluminosi operis germanici. Cumenim plurimae sint in sacro codice metaphorae, & sensus ille huius uniuersi, repugnet experientiae; spiritus autem communis porticum redoleat: dandus hic quoque locus erit metaphorae: sed tantum abest, vt audacior ille *tropus* cenferi debeat, vt elegans potius, & dignissimus scriptore sacro, & frequens in sanctioribus tabulis.

lis, recte putetur. Nullum hic *figmentum poeticum* (quod clarissimis, quibusdam viris videri voluit) nulla ἀνδροπαθεία, nulla denique *προσώποεισις* proprie dicta, potuisset incusari. Admodum largiter vocabulo indulsit CHRYSOSTOMVS; quando mundum dixit a PAVLLO προσωποποιεῖσθαι. Apud rhetores longe diuersa est ratio τῆς προσωποποιίας. Hoc loco praeter *metaphoram* nihil agnosci debuit; & *Alis* genere dicitur ac suspirare libertatem, hoc sensu; *creaturae certissima liberatio parta est, ad quam propius in dies singulos tendit; eiusque abusus mouet conditorem, ut liberationem promissam maturet.* Atque illis *metaphoris*, quid est in sacris litteris vsitatus? Nonne caeli enarrant *gloriam Dei*, dies diem admonet, & nox conscia nocti denuntiat, sicut DAVIDIS? Nonne res mutae clamant apud ESAIAM cap. XIV. 31. XLIX. 13? Nonne parietes curiae aliquando *gestiunt, & loquuntur*, idque non audacius in carmine, sed apud oratorem, eundemque TVLLIUM, oratione pro Marcello, & epistolis ad familiares? E poetis vero si loca similia colligam, abuti videar *patientia lectorum*; tanta suppetit huius generis copia! STATIUS in consulatum GERMANICI: *leges Latias exsultare, curules gaudere, Enandrium collem onare iubet*, sicut IESAIAS, auspicio sanctiore, caelum, terram, montes, ad laetitiam prouocat. Porro nec vocabulum λογίζεσθαι obstat illi sententiae, ut propter illud metuendum sit, non sufficere hunc sermonem *metaphoricum, ad syllogisticam probationem propositionis antecedentis.* Nam si maxime *syllogismus* quidam illo designetur, quae tamen illi significatio nequaquam est perpetua, sicut ERASMVVS & GROTIVS ad h. l. monuerunt: si autem syllogismum hic tibi concipias; (procul enim sit impia SPINOZAE, & futilis eorum sententia, qui spem huius gloriae vel ipsi PAVLLO dubiam, vel pio cuique incertam esse, somniant:) potuit ille syllogismus alium in mente PAVLLI *medium terminum* habere, nec necesse est, ut quae nostro *commate* sequuntur, pro parte magis, quam *illustratione* huius *syllogismi* reputentur. Aut si pro parte malis, tamen salua res erit. Nam probandum erat PAVLLO, reuelationem gloriae *secuturam* esse, post dura piorum fata. Id confirmari poterat

poterat hac ratione : quoniam huius mundi *systema* nequaquam aeternum, sed mutatio fatalis eo propior censenda esset, quominus ferre diutius iustitia DEI posset, vt homines improbi tam ferociter in res sibi commodatas debaccharentur. Si quis in oratione vel epistola, *tropum* omnem profligare velit ex huiusmodi demonstrationibus, illum vereor ne omnis scriptorum aetas refellat.

§. VI.

Porro qui *Ἰλλιω* esse putant eos, qui de gentibus * alienigenis CHRISTO nomen dedissent, non satis probabilem habent causam, quae demonstret, hos homines *Ἰλλιω*s potius, quam alio esse vocabulo a sanctissimo scriptore appellatos.

* Hanc esse celeberrimi CLERICI sententiam, notum est eruditibus. Nec defuerunt celebres Theologi, quibus illa ratio probaretur. Nihil videbatur commodius, quam credere, τὴν *Ἰλλιω* esse *Christianos e paganis*, & qui ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος habent, *Christianos ex ebraeis*. Sed si quaeras, vnde constet *Ἰλλιω* esse paganos ad CHRISTVM collectos? si ex stilo veteris aut noui testamenti proferri cupias argumenta: ibi firmamenta destituunt vestigantem. Equidem video, ab iis quoque, qui paullo amplius significatum τῆς *Ἰλλιω*s extendunt, ebraeosque simul ad CHRISTVM collectos, sub ea comprehendunt, ita tamen, vt a posteriori, id est a paganis fiat denominatio; hos inquam video eruditibus obseruationibus suam sententiam exornare. Nempe hanc loquendi rationem ex ebraeorum scriptis repetunt. Conculatissimus earum litterarum LIGHTFOOTVS, loco quem supra notauimus, illam noui testamenti phrasin, πάντα ἢ *Ἰλλιω*s, *Marc. XVI. 15.* respondere censet ebraeorum כל הבריות, quare factum sit vt *Matthaeus XXVIII. 19.* πάντα τὰ ἔθνη, omnes gentes, dixerit, quod MARCVS πάντα τὴν *Ἰλλιω* omnem creaturam. Loca sapientum ebraeorum non contemnenda, lege, si placet, apud LIGHTFOOTVM, tom. II. oper. p. 468. Quibus alia subiunxit vir in hoc genere praestantissimus, ven. SAL. DEYLINGIUS d. L.

Atqui

Atqui haec sententia id nobiscum habet commune, quod praesumit, PAVLLVM ebraeis potissimum haec scripsisse, quibus illa phrasis ex suae gentis consuetudine, fuerit notissima. Equidem haec vnica afferri possit causa, cur CHRISTI *clientes*, utpote maximam partem e paganis adsciti, a PAVLLO *ἠλιος* appellentur. Sed bona cum venia clarissimorum virorum tentabimus, quam probabilis haec sit coniectura. Primo nondum euidenter adprobatum esse credimus, iam tum PAVLLI tempore, illam sapientum ebraeorum phrasin ita percebuisset, ut posset a PAVLLO in orationem graecam sancti codicis inferri. Deinde mirum est, duas sententias, easdemque diuersissimas, eadem se phrasii tutari. Altera enim *ἠλιος* esse dicit *paganos idololatrias*, & a CHRISTO alienos, *ἠλιος* adhuc obnoxios: altera eosdem, sed iam pios & CHRISTO deuotos indicari putat. Priorem esse LIGHTFOOTI, LOCKII, IONCOVRTII, WALLII, & NYLOE: posteriorem CLERICI potissimum, aliorumque, satis constat. Iam si PAVLLVS voce *ἠλιος*, quam alia, maluit uti, quoniam trita tunc esset illa inter Iudaeos; hi vero nunquam paganos CHRISTO fideles, eo nomine salutauerunt: non satis liquet, qua perspicuitatis fiducia, vir sanctus id vocabulum de piis potius quam profanis gentibus adhibuerit. De profanis intelligi non posse, cetera omnia docent; de piis quo minus intelligatur, vox ipsa, & consuetus eiusdem qui creditur apud ebraeos, vsus, prohibet. Si vero pagani dicuntur *ἠλιος in oppositione ad Iudaeos*, uti viuis hisce clarissimis videtur: qui sit, quod hoc tamen loco eosdem comprehendere vox illa debeat, quibus ex consuetudine iudaeorum soleat opponi? Argumentum hoc est: *ἠλιος* dicuntur pagani, *in oppositione ad Iudaeos*; pagani sunt potior pars fidelium in regno CHRISTI; Ergo *ἠλιος* & paganos & ebraeos *christianos* denotat. Quod nobis non satis perspicuum videtur. Neque ratio potest idonea proferri, cur PAVLLVS de desiderio gloriae futurae tractans, distinguere voluerit desiderium ebraeorum fidelium, a desiderio paganorum; quorum tamen in ciuitate CHRISTI aequalis conditio, eadem fides, eadem spes, idem spiritus, eademque sempiternae vitae hereditas,

hereditas. Porro quod LIGHTFOOTVS *πάσαν κτίσιν* apud MARCVM, & *πάντα τὰ ἔθνη* apud MATTHAEVM exponit de paganis omnibus; id facere non debebat. Nam illa phrasis *omnes homines* denotat, siue iudaei essent, siue alienigenae. Quis enim a fructu *baptismi* & *euangelii* excluderet ebraeos, cum in eo sit CHRISTVS ibi praecipiens, vt illa beneficia ad omnes homines transfundi velit. Et LIGHTFOOTVS ipse paullo ante confessus erat, ex ebraeorum more phrasin *כל הבריות* frequentissime notare *omnes homines*. Quamobrem vir doctissimus IO. MEISNERVS *disput. de creatura gemebunda*, habuit quod ANGLIO doctissimo obiiceret. Denique id maxime considerandum mihi videtur, homines ebraeos immodico semper fastu turgentes, per contemptum id nominis indidisse paganis, vt illos *creaturas*, se homines, Israelitas, sapientes, scilicet, adpellarent. PAVLLVM adeo per contemptum loqui de fratribus alienigenis, & arrogantiam in illa re iudaeorum alere ac fouere, quis opinetur? Non facile probabitur eruditis, quod vir clarissimus, *disp. de gloriosa filiorum Dei libertate*, obseruandum voluit: PAVLLVM ideo vocem *κτίσους* adhibuisse, quod fideles tunc temporis, infensissimi mortalium tam abiecto loco haberentur ab hostibus suis, vt ignominioso nomine CREATURAE grauarentur. Nam si e sacris litteris honorificentior huius nominis ratio peti potest (quod supra tentatum est a nobis) committere non debemus, vt PAVLLVS ignominiosum nomen vsurpasse videatur.

§. VII.

Ecclesiam *novi* potius quam *veteris testamenti*, voce *κτίσους* notari, * pariter instituto PAVLLI & sermonis nexu comprobatur. Institutum erat ostendere, non alienas esse calamitates maximas a felicitate novi testamenti; quam non talem esse docet, vt nihil illustrius sperandum expectandumque supersit. Nexus sermonis idem probat: quippe *aerumnas huius aevi* paullo ante memorat, iisque gloriam proxime post illud aevum reuelandam, opponit.

I

* Haec

* Haec omnia *cap. II. §. 2.* vberius exposita sunt. Itemque *cap. I. §. 3. 4.*

§. VIII.

Desiderium ecclesiae caelestis, congrue & profus ex instituto huc adferebatur a PAVLLO. Nam si & ipsae caelestes animae, habent etiam nunc, quod desiderent, & si per gradus ad statum perfectiorem enituntur: quid est, quod in hac terra commoueamur, si nostra sub CHRISTO felicitas non ex omni parte perfecta sit, & quibusdam incommodis interpelletur? Porro si mentes in caelo tranquille ac modeste expectant diem decretorium; nos illorum exemplo ferre debemus moderate casus omnes, & per infinita rerum discrimina tendere feliciorem in patriam, vbi libertas parta sit. Ita *voluntas Dei*, quod assidue precamur, *fiet in terris, vti fit in caelo.* Nexus autem sermonis idem postulat. * Ecclesiae militanti nihil validius opponi potest, quam triumphans in caelo. Denique hoc desiderium piorem in caelo *analogiae fidei* ** non repugnat.

* Quis non videt languidiorem esse vim sermonis, si dixisset PAVLLVS: non modo pagani suspirant, sed nos quoque Iudaei? Quasi promissum aliquod extaret, ex quo meliorem possent fortem augurari, quos ab ebraeo populo, quam quos e paganis CHRISTVS adsciuisset. Tunc enim mirum foret, hos quoque suspirare cum paganis. Id quoniam cogitari nequit, non potuit etiam PAVLLVS Iudaeorum suspiria, tanquam magis notabilia, suspiriis opponere paganorum. Itaque CLERICO suffragari nolim. An vero lubentius GROTIUS aliisque eum secutis? Nempe APOSTOLOS illi producant, quorum gemitus, tanquam illustrior & mirabilior, opponatur aut rebus huius mundi, aut reliquis CHRISTI alumnis. Sed quoniam per alias difficultates statuere id non licet, (*§. V. h. cap. & cap. III. §. 1. 2. 3. 4.* *) & multo vehementius intenditur sermonis grauitas, si

non

non modo pii in his terris, sed simul caelestis ecclesia desideret eandem gloriam: non immerito hanc posteriorem sententiam an-reponemus priori.

** Quod supra ostendimus, cap. III. §. 4.

§. IX.

Denique singulorum pro semetipsis desiderium, tale est, quod ad institutum PAVLLI pertinere. Nam vt calamitates accidunt vniuersis; ita cuncti simul idem suspirant, id est, totius ecclesiae liberationem. Rursum vt suum cuique incommodum attributum est, & vt sua quemque gloria manet in caelo: ita pro se separatim ingemiscit, & partem sui patrimonii exspectat. De vtroque vero, de perpeffionibus & gloria, natisque exinde desiderijs, tota agit oratio PAVLLI. Porro, quod non tantum *visio desideriorum* post fata huius mundi, quilibet pro se desiderat, sed quae praecedat illam, sui quoque corporis liberationem, qua fit, vt ad animas caelestes desiderio *visio desideriorum* vltimae flagrant, deferatur; id maxime huic loco erat accommodatum. Quae modestia caelites exspectant diem supremum, & partem tunc sibi gloriam; eadem modestia *militantis ecclesiae cuius* exspectat primo liberationem sui corporis & societatem eorum, qui iam nunc in caelo triumphant. Hi corporis sui *glorificationem*, ille corporis mortalis antea *depositionem*, ac deinde plenam cum caelestibus *visio desideriorum* suspirat. Corpus est, quod graviter in hoc mundo adffigitur, quare conuenit, vt eius liberatio vehementi nisu desideretur.

ORNATISSIMO IUVENI
VVILHELMO RVDOLPHO
DOELL

SS. THEOLOGIAE CANDIDATO DIGNISSIMO
S. D. P.

PRAESES.

Nihil est, quod impensus me delectet, quam
eorum discendi ratio, qui ad sanctissimum
SIONIS apicem, non saltu, sed gradibus, eni-
tuntur. Mira est hoc aeuo, sed tanto carior illo-
rum paucitas. Plurimi, antequam vel cogitare
scienter, vel loqui grauer, didicerunt, plenis iam
dithyrambis mysteria crepant, & de rostris sanctio-
ribus, non quod spiritus & rerum gustus animos,
sed quod vulgares formulae, rudem memoriam futi-
lemque buccam docuerunt, ingenti strepitu deuol-
unt. Ab eorum te gregibus abesse gaudeo, cul-
tissime DOELLI! Tu nempe mansuetiores lit-
teras, quae nunc quidem gemunt atque suspirant
sub inficeta barbarie, sic primum coluisti, ut
quem tu illis, hunc illae tibi vicissim honorem de-
cusque

cusque tribuerint. *Testes sunt optimi viri, quos in Wildungensi Gymnasio Doctores habuisti. Testis & ego, quem deinde per annos aliquot, in hoc stadio, comitem potius quam ducem eligebas. Testes etiam Marburgenses Musae, quae adparatu philosophiae non mediocri locupletatum nobis denuo te reddiderunt. Hinc tota mente in sanctiorem disciplinam incumbens, celeberrimos huius Academiae THEOLOGOS atque PHILOLOGOS tibi plane tuisque successibus vindicasti. Quo factum est, ut utramque cathedram, hanc disputando, illam docendo populo, frequentius, & praecipua cum laude tua, publice pariter ac privatim ornares. Per me si quid in re sacra profecisti, potius id industriae tuae, quam meae facultati debeto. Te vero per integrum fere lustrum mihi filii loco fuisse, neque te ut opinor poenitebit, neque mihi non erit gloriosum. Non tam domus id & mensa effecit, quam tua indoles, quae plurimum traxit a parente, quo neque meliorem virum cognoui, neque mihi per multos iam annos amicio-rem. Hinc bene feliciterque cedat, quicquid unicus ei filius pro pia educatione, gaudiorum voluptatis-*

W. H. N. 11. 2nd. 11.
COR. I. AD. H. 22.

luptatisque rependis. Inter quae si referre liceat hoc
publicum quoque specimen, istum ego laetitiae fru-
ctum cum illo sic partiam, ut amorem tui, ad
hoc usque tempus paene dispersitum habuimus. Ad-
sit tibi in posterum spiritus ille sanctior, & ad sua
te ministeria totum fingat ac praeparet, ut non ipse
tantum viam & locupletem ^{via Deulos} nostrae noti-
tiam custodias, sed etiam ad incrementa regni ser-
uatoris, in plurimos eandem transfundas; tan-
demque mecum, & cum illis omnibus, ad glorio-
sam filiorum DEI libertatem transcribare.

Dabam Gissae Idibus Sextil.

C1910CCXXXVII.

Sic gemuit Pharios quondam gens sancta furores :
Tabuit ad rapidam sic Babylonis aquam ;
Ut pia Christiadam proles, cruciatibus aevi
Languida, seruitio tendit abire suo.
Vos quoque, caelestes socio sine corpore vitae,
Ardor habet, festum cernere posse diem,
Quo tuba magnificos supera canat arce triumphos :
Oprat idem tacito, mens pia quaeque, sinu.
DOELLI ! cui liquidam fundunt mysteria lucem,
Non erit obscuro, laus tibi parta, loco :
Nec procul est, cum, te, discer pia turba, ministro,
Quae desideris palma parata suis.

Ita plaudit ac vouet amico, conuictori,
sodali coniunctissimo

CONR. LVDOV. HESS
Weilb. Nass. LL. Studios.

33


01 A 6623

ULB Halle
002 934 213



ULB Sachsen-Anhalt
Ausgabenjahr 3
Datum: 2008







3. 1
EXERCITATIO ACADEMICA

DE

GEMITV ECCLESIAE
S V S P I R A N T I S
LIBERTATEM

ROM. VIII. 19. 20. 21. 22. 23.



P R A E S E S
IO. HERMANNVS BENNER

ACAD. GISS. PROF. ET PAEDAGOGIARCHA

R E S P O N D E N S

WILHELMVS RVDOLPHVS DOELL

SS. THEOLOGIAE CVLTOR

QVICQVID IN ILLA VEL NOVVM EST VEL DICTVM PRIVS
CATHEDRAE PVBLICAE

AD D. XXII. AVGVSTI ANNO POST NATALES CHRISTI
C19 13 CC XXXVII.

INGENVAEQVE LIBERALIVM EXEGETARVM CENSVRAE
PERMITTVNT.

GISSAE LITTERIS MVLLERIANIS.